

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Expositio in Cantica Canticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](#)



DE COMMENTARIO in Cantica Canticorum.

O B S E R V A T I O .

IN prima de his Commentariis Praefatione planum, ut spero, fecimus hunc de quo agimus non esse genuinum sancti Gregorij factum. Rationes non iterò, ne actum agam: sed aliquot argumenta solvenda sunt, quibus contraria sententia munitur. Objectant primò Ildefonsum Toletanum Episcopum, qui opus Morale in Cantica Canticorum S. Gregorio adscribit. Objectant secundò manucriptos codices multos horum commentariorum, qui quidem S. Gregorij nomine prænotati sunt. Objectant tertio in multis manuscriptis hunc Commentarium non per capita sed per Homilias esse distributum. Quod innuit Epist. 22. lib. 10. Regesti S. Gregorius de suis in Cantica Canticorum expositionibus loquens: *Quia charissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbii, de Cantis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum & de Heptateucho audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipsa ea suo sensu & stylo dictarunt, ne oblitione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatiū dictarentur. Quæ cùm mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde in multis inutilius fuisse permutatum. Unde necesse est, ut tua experientia omni excusatione atque mora cessante, ad ejus monasterium accedat, convenire fratres faciat, & sub omni veritate quantascumque de diversis scriptura chartas detulit ad medium deducant: quas tu suscipe, & mihi celeriter transmette.*

Tripli nodo triplicem aptanius cuneum. 1. Ildefonsi auctoritas facile elevatur, cùm nec oculatum se testem profiteatur nec auritum. Legerat fortè Epist. 22. lib. 10. aut de ea aliquid inaudierat obscurè: Commentarium istum nec legerat, nec verò sciebat extare. Vnus Paterij hac in causa auctoritas multis præponderebat Ildefonsi in Hispania longè post Gregorij mortem tempore degentibus. Cui probabant Commentarium istum nulli praterquam uni Ildefonso cognitum à fine sexti saeculi ad decimum sextum saeculum in tenebris latuisse, & semper ab aliis sancti Gregorij operibus sejunctum nescio quo fato fuisse?

2. Non eo inficias plurimos hujus Commentarij manuscriptos Codices in variis Bibliothecis reperiri: Verùm perspecta codicum istorum varietate, quanta sit ipsis habenda fides studiosus lector perpendet. Quidam enim carent titulo, & incipiunt absolute ab illis verbis: *Os sponsi, &c.* Alii habent titulum hujusmodi, *Cantica Canticorum: tacito nomine sancti Gregorii.* In quibus autem legitur nomen sancti Gregorii, dubium non est quin à librariis sit adjunctum. Alii carent Prologo. Alii Prologum quidem habent, sed discrepantem ab edito, & paulò etiam fusiorem. Alii loco capitinis primi proferunt duas Homilias multò prolixiores quā sit illud caput, scilicet usque ad illa verba versiculi 11. *Pulchra sunt genæ tue.* Cætera enim conveniunt cum editis. Notandum porro est variare etiam codices in expositione versic. 15. cap. 1. *Borus Cypri, &c.* ubi in editis ita legitur: *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur.* Quæ verba & in quibusdam manuscriptis reperiuntur: Verùm in antiquissimis & optimæ notæ codicibus non leguntur, nec etiam in primis

edition ut in Parisiensi an. 1523. apud Chevalonium, & in quibusdam aliis. Unde coniicere licet hæc verba non esse auctoris qui Commentarium edidit, sed illius qui Commentarium descripsit. Adiecta autem arbitror ex commentario Bedæ in Cantica Canticorum, qui exponendo eumdem locum ita loquitur: *In vineis Engaddi balsamum gignitur, quod in chrismatis confectione liquori oliuæ admiseri ac Pontificali benedictione solet consecrari, quatenus fideles omnes, cum impositione manus Sacerdotis, qua Spiritus sanctus accipitur, hac unctione signentur.*

3. Duo negamus. Vnum: multos extare manuscriptos alicuius fidei, in quibus hoc opus per Homilias distribuatur. Alterum: huius operis capita posse censeri Homilias; quanquam aliqui ut fucum facerent, isto eas nomine prænotarint. Consular Lector veras sancti Gregorii Homilias in Ezechiem & in Evangelia, & videbit immane quantum differant. Et verò nulli mirum videbitur nescio quos obscuri nominis exscriptores tales titulos pro suo libito affinxisse, si meminerimus Andream Monachum vivente sancto Gregorio suppositias Homilias sub tanti viri nomine audacter obtrusisse; & quidem Græco idiomate, quod se nescire sanctus Gregorius aperte profitebatur. Si hæc in viridi, quid in arido?

His rite perpensis, nemo est, opinor, qui commentarium hunc Gregorio Magno iure possit adscribere.





S. GREGORII PAPÆ IN CANTICA CANTICORVM EXPOSITIO.

PRO O M I U M .

QVIA si cæco, si longè à Deo posito cor-
dissermo divinus voce propria ac voce
divina loqueretur, non caperet; per
quædam ænigmata misericorditer mo-
net & revocat, & per res notas, latenter
ei amorem rerum non notarum insinuat. Per hoc
enim quòd non horret cognitum, intelligi quidam
incognitum. Rebus notis allegoriae conficiuntur,
& in sententias divinas vertuntur: ut dum re-
cognoscimus sensu exteriora, intellectu perveniamus ad interiora. Hinc est quòd in libro hoc qui
Cantica canticorum inscribitur, amoris quasi cor-
porei verba ponuntur; ut à corpore suo anima per
sermones consuetos discussa recalesceat, & per verba
amoris qui infra est, exciteatur ad amorem qui supra
est. Nominantur enim hic oscula, ubera, genæ,
femora. Ubi non irridenda est sacra descriptio, sed
consideranda misericordia Dei, in hoc etiam amplior,
quia dum membra corporis nominat, sic ad
amorem suum nos vocat. Notemus quidem quām
mirabiliter, quām misericorditer nobiscum opera-
tur, qui ut nos ad amplexus facili amoris accendat,
usque ad turpis amoris nostri verba se inclinat. Sed
unde se loquendo humiliat, inde nos intellectu ex-
altat: quia ex sermonibus hujus amoris discimus,
qua virtute in divinitatis amore ferveamus. Hic etiam
solerter intuendum est, ne cùm exteriora audi-
mus, ad exteriora sentienda remaneamus, & ma-
china qua ponitur ut levet, ipsa magis opprimat &
aggravet. Debemus in verbis exterioribus corporeis
quidquid interius est querere, & lóquentes de
corpore extra corpus fieri. Debemus ad nuptias sponsi
& sponsæ cum intellectu charitatis, id est, cum ueste
nuptiali venire, ne si ista careamus, ab hoc convivio
in exteriores tenebras, id est, in cæcitatem ignoran-
tiae repellamus. Debemus per verba passionis tran-
fire ad virtutem impassibilitatis. *Littera enim occi-
dit, spiritus vivificat.* Sicut enim palea frumentum
sic & littera regit spiritum. Sed quia jumentorum
est paleis, hominum frumentis vesci; qui hu-
mana ratione uititur, paleas abiciat, frumenta spi-
ritus edere disponat. Humanae conversationis verba
audientes, quasi extra humanitatem esse debemus:
ne si humaniter quæ audivimus capiamus, nihil di-
vinitus de his sentire possimus. Qui enim Deum se-

A quitur, imitari debet quotidie resurrectionem suam: ut sicut tunc nihil passibile erit in corpore, ita nunc nihil passibile habeat in corde: ut secundum interiorum hominem jam nova creatura sit, & sic jam quidquid vetustum sonuerit, calcet; & in verbis veteribus solam vim novitatis inquirat. Attendendum est, quòd liber hic non Canticum, sed Canticum Canticorum dicitur. Tantè est enim omnibus canticis sublimius, quædam in nuptiis sublimioris festivitatis offertur. Hic notandum est, quia quando vult timeri, dominum: quando vult honorari, patrem: quando amari, sponsum se nominat Dominus. Attende ordinem. Ex timore enim honor, ex honore soler procedere amor. Nec vacat à mysterio, quòd liber hic tertius ponitur in operibus Salomonis. Post B Proverbia enim Ecclesiastes, post Ecclesiasten Canticum canticorum, non casu, sed plena ratione posuit. In Proverbiis moralis vita exprimitur, cùm dicatur: *Asudi filii mi sapientiam.* In Ecclesiaste naturalis, ubi finis omnium consideratur, cùm dicatur: *Pro. 1. a
Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* In Cantico a verò canticorum contemplativa vita exprimitur, dum in eo ipsius Domini adventus & aspectus desideratur cùm sponsæ voce dicitur: *Osculetur me of- Cant. 1.
culooris sui.* Quia ergo naturals ad considerationem non perducuntur, nisi priùs moralitas tenetur, rectè post Proverbia Ecclesiastes ponitur. Et quia superna contemplatio non conspicitur, nisi priùs hac infra labientia despiciantur, rectè post Ecclesiasten Canticum canticorum ponitur. Priùs quippe est mores componere, postmodum omnia quæ sunt, tamquam non sint, considerare: postea munda cordis acie superna & interna conspicere. Hos ergo librorum gradus quasi quamdam ad contemplationem Dei scalam fecit; ut dum primum in sæculo bene geruntur honesta, postmodum etiam honesta seculi despiciantur, ad extrellum verò Dei intima confipientur. Sic autem generaliter ex voce sanctæ Ecclesiæ adventus Domini in hoc opere præstolatur; ut etiam specialiter unaquæque anima ingressum Dei ad cor suum, tamquam aditum sponsi in thalamum aspiciat. Itaque sancta Ecclesia diu præstolans adventum Domini, diu sitiens fontem virtutis; quomodo optet videre præsentiam sponsi sui, quomodo desideret, dicat.

EXPOSITIO CAPITIS PRIMI

VERS. I. **O** sculetur me osculo oris sui : quia meliora sunt ubera tua vino , fragrantia unguentis optimis.

Osponsi , inspiratio Christi : osculum oris , dulcis amor inspirationis . Dicit ergo sponsa desiderio astutus , & in amplexum sponsi sui inardescens : [O sculetur me osculo oris sui .] Ac si dic ret : Ille quem super omnia , immo solum diligo , veniat , qui dulcedine sua inspirationis me tangat ; quia cum ejus osculum sentio , subita mutatione me derelinquo , & in ejus similitudinem illico liquefacta transformor . Fafidit quippe sancta mens omnia qua per corpus sentit , & in illa spiritualia tota transmutari concupiscit : & dum ista obstrepunt , in illa fugit , sequens abscondere ne haec sentiat , appetit . Ideoque osculum sponsi querit ; quia si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit , haec vi sua molestissimae gravedinis detenta , quomodo se ad illum conferat , omnino non inventit . Sed pius sponsus anxietatem ejus sentiens , amorem diligens , votum exaudiens , osculum porrigit , & ne desiderio lassescat , gustu sua suavitatis lenit : & dum suam presentiam exhibet , eam ad maius dilectionis osculum accedit . Unde haec illum sentiens , ad eum se convertit , & quem presentem habet , mox gaudens voce mutata alloquitur & dicit : [Quia meliora sunt ubera tua vino , fragrantia unguentis optimis .] Ubera sponsi , dilectio Dei & proximi . Ex his uberibus sponsam suam lacte pietatis nutrit : & inter tentationum turbines his eam foveat & nutrit , & ut persistat , reficit . Quid autem per vinum , nisi cura temporalis exprimitur , à qua mens secularis cuiuslibet inebriatur , ut ad invisibilia cognoscenda aut ex toto , aut pene insensibili reddatur ? Sed ubera sponsi vino meliora existunt ; quia illud necat , haec nutrit . Illud oculos mentis turbat , haec acount . Illud apostatare facit etiam sapientes , haec ipsos idiotas utique sapientissimos faciunt . Quia quot vicibus sponsa cum dilectionis ubertate fugit , tot sententias sapientiae sibi in ventrem memorie trahit . Charitas enim sancta cor pacificat , mente in temptationibus roboret , & ut sedes sapientiae sit anima justi , quietem tribuit , & locum preparat . Haec itaque ubera unguentis optimis fragrant ; quia odorem suavitatis per sapientiae verba & sanctitatis exempla secum portant . Quicunque enim sancta charitate per gratiam Dei se reficit , is spiritualium donorum & odorem & suavitatem sentit . Quorum bonorum ubertate proximos quoque ad interiora sustanda secum trahit , & ut in amore divini convalescant , istis uberibus nutrit . Sequitur .

II. **O**leum effusum nomen tuum : ideo adolescentula dilexerunt te .

Nomen sponsi Christus est . Sed nomen sponsi quasi oleum effunditur ; quia quicumque nomine Christiano in veritate censerunt , charitate sancta affluunt , qua molliuntur : & ut flamas exemplorum emitant , eadem charitate continuè suffunduntur . Hac charitate in amorem ipsius Christi vehementius ascenduntur , & ab ipso accipiunt , quod ei amplius inhærent , quo perfunduntur . Hinc est quod sequitur : [Ideo adolescentula dilexerunt te .] Quid enim per adolescentulas , nisi sancta anima designantur , quia Baptismatis aqua per Spiritum sanctum regenerantur , & in nouam vitam per novum Testamentum transformantur ? Quia propter olei infusionem Christum diligunt ; quia ad gratiam vocatae , in eo suavitatem vitae perpetua inveniunt , pro cuius suavitatis dilectione omnes mundi fastus & divitias respiciunt . Sunt enim nonnulli qui ita Deum

Idem
c. 6. &
lib. 24.
Mor. c. 4

A diligunt , ut seipso contemniant ; in interiora se rapiunt , ut Deum inveniant . Et quia Deus in superficie non jacet , meditationibus laborant , subtilissime cogitationes suas examinant , lectionibus vacant , & quomodo Deus inveniatur , omnibus modis perquirere non cessant . Hi profectò odorem unguentorum sentiunt , & olei infusione se in ungunt : quia dum omnem putredinem vitorum abscidunt , flores sibi inveniunt , quorum compositione suaveolentia unguenta Deo faciente conficiunt . Qui ejusmodi est , desiderio astutus , & quasi nil habeat , semper majora exoptat : & quia sibi virtus non suppetat , in Deum inhians trahi se postular , dicens :

Trabe me post te , curremus in odorem unguentorum tuorum .

III.

Non currat , qui non trahitur : quia quem divina gratia non adjuvat , molestia sua corruptionis gravatur . Gratia quippe divina nos prævenit , & internorum dulcedinem nobis ostendens , de exterioribus nos compungit , moxque in illa transiens animus , præ corum dilectione temporalia vilipendit . Iste ergo qui trahitur , currat : quia vinculum amoris libenter sequens , gratia roboratus amore , sine gravedine obstatula omnia transit . Nec mirum , cum unguentorum odorem sequatur : quia cum spiritualium donorum suavitatis sentitur , quid est in hac temporalitate cuius desideria anima sancta sponsa Christi , ne in illa properet , tencatur ? Ibi quippe lenitate unguentorum gaudet , & dum naribus discretionis spirat , charitas sibi suavitatis olet . Hinc est quod à singulare numero ad pluralem transit : quia in dilectione Dei etiam præceptum quod de proximi dilectione nos admonet , invenit : quo instruēta eructat nobis foras , quod gustavit suavitatem in suis , dicens .

Introdaxit me Rex in cellaria sua : exultabimus & letabimur in te , memores uberum tuorum super vinum , recti diligunt te .

IV.

Quid per hujus sponsi , qui rex est , cellaria intellegimus , nisi sancta scripturæ arcana qua rimamur : nisi sancta contemplationis mysteria , quorum deliciae si reficiunt , mox convalescimus ? In illa prudublio quisquis introducitur , omnia temporalia mox contemnit , quia æternitatem ditatur . Ideo sequitur : [Exultabimus & letabimur in te , memores uberum tuorum super vinum .] Sancta anima sponsa Christi in sponsi sui deliciis exultat , dum corporalia respuit , & in spiritualibus se occultat . Eundemque sponsum delicias suas facit , in cuius respectu munda omnia non curat . Sed haec in memoria uberum agit : quia dum recolit quanta charitate Christus eam dilexit , qui sanguine suo eam moriens in cruce redemit , & quotidie eam in finu Ecclesiæ matris ejusdem sanguinis lacte nutrit , prudublio magis ac magis in ejus dilectionem intendit . Quod lac bene super vinum dulce esse dicitur , quia per sanguinem Christi misericorditer educamur , qui per legis litteram severè prius constringebamus . Per quam dilectionem adimpletur quod dicitur : [Recti diligunt te .] Soli utique Christum diligunt ; quia quicumque adhuc per distorta vitorum ex desiderio currunt , dum in rectitudinis lineam semper offendunt , ipsum iustitiam autem Christum omnino diligere non possunt . Tunc vero homo per viam veritatis incedit , cum & opera virtutum exequitur , & tamen peccata sua semper agnoscat . Ideoq; sequitur & dicit .

Nigra sum , sed formosa filia Hierusalem , sicut tabernacula Cedar , sicut pelles Salomonis .

V.

Nigram quippe & formosam sancta anima se bene dicit ; quia semper & turpitudinem peccatorum suorum

suorum perspicit, & tamen illius justitia quam in intimitate videt, in exterioribus actibus secum solerter formam gerit. Quae bene sicut tabernacula Cedar nigra, & sicut pellès Salomonis formosa dicitur; quia in quantum tenebras mortalitatis portat, nigrat corruptionis fordidatur. Cedar enim tenebra interpretatur: Salomon vero qui Christum significat, pacificus dicitur. Formosam ergo se sicut pellès Salomonis dicit: quia dum sanctos quoque qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non neglit, eorum utique pulchritudini per similitudinem se jungit. Ne verò proximi in ejus nigritatem intendentem, minus exempla bonorum ejus ad imitationem diligent, turpitudinis causam satisfaciens ostendit, dum ab admiratione sua filias Hierusalem repellit, dicens:

- VII. *Nolite me considerare quod fusca sum: quia decoloravit me sol.*

Per solem Christus significatur. Sol ergo eam decoloravit; quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi fulgorem amittit. Sunt quippe nonnulli, qui in hac nocte mundi velut stellæ hominibus fulgent, luminaria proximis apparent, sed mox ut justitiae Christi se comparant, quasi sine luce sunt, qui bene incomparabiliter prius hominibus lucebant. Qualiter vero ad hoc pervenerit ut aliquantulum luceret, ostendit cum subjungit:

- VIII. *Fili⁹ matris meae pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiri.*

Mater sponsa sancta Ecclesia, filii matris sancti Apostoli extiterunt. Ante Apostolorum quippe predicationem pene totus mundus rebellis exituit, omnis pene anima idolorum se cultibus sordidavit, & cupiditates sceleratas accumulavit. Apostolorum vero predicatione superveniens, contra omnes verbo pugnavit, in multis regnum demonum expugnavit; & regnum Christi, id est, sanctam Ecclesiam ampliavit. Junctam ergo Christo & sanctificatam congregationem Apostoli custodem in vineis posuerunt: quia primos credentes in Ecclesiis per mundum, ut eas & congregarent & custodirent, disperserunt. Cujus dispersionis causam ostendit, dicens: [Vineam meam non custodiri.] Quid per vineam singulariter, nisi Iudea designatur? Que à se fideles expulit; quia custodiri aspernabatur. Predicatione quippe expugnata, & sponsa Christi facta anima, dilectione ardet, & inquiringe cum quem diligit, in intimitate exercet, dicens:

- VIII. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi passas, ubi cubas in meridi: ne vagari incipiām post greges sodalium tuorum.*

In meridi Christus sub umbra pascit & cubat; quia in refrigeratione Spiritus sancti sibi quasi requiet & paustum parat. Per meridiem quippe ardor vitorum exprimitur: per umbram vero, spiritalis gratia flatus designatur. Meridie ergo fervente in umbra Christus requiescit; quia dum in reprobis astus vitiorum flagrat, ipse sponsa suæ spiritum refrigerij tribuit, & in ea sibi delectabilem locum quietis efficit. Sed hoc sibi sponsi indicari depositit, quod nulli unquam declaratur, nisi ei qui idem sanctificatrix gratia munus percipit. Quare vero ad hanc percipiendam existet, manifestatur, cum subditur: [Ne vagari incipiām post greges sodalium tuorum.] Verè in quo Christus non cubat, vagatur: quia mens quam ille suavis & ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur. Sed qui sunt sodales Christi, per

*Idem
lib. 3. o.
Mor. c. 18*

S. Greg. Tom. III.

A quorum greges sponsa vagari pertimescit, nisi falsi quique Christiani? Qui aut ob nominis solius, aut etiam Sacramentorum communionem fratres Christi vocantur; quia electi, quos ipse fratres vocavit, in Ecclesia cohabitando sociantur. Quorum multitudines bene per exprobationem greges appellantur: quia dum quasi irrationabilia animalia sine ordine vivunt, seductoribus spiritibus ad devorandum traduntur. Per hujusmodi greges vagatur quisquis ab intimo desiderio expulsus, reproborum stultitiam per similes cupiditates imitatur. Hos quippe electi cum moleste patientur, per eorum persecutionem probati, mundiores ad aeternam bona perducuntur. Unde admonetur sponsa cum sibi per increpationem dicitur:

- B *Si ignoras te, ó pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum: & pase hædos tuos juxta tabernacula pastorum.*

IX.

Si ignorat se sponsa, egrediatur & abeat: quia quisquis nescit se in hoc positum, ut tentationes per sufficientiam vincat, à familiaritate Christi recedit: quia in bello positus, cum Domino suo pugnare recusat. Scendum est enim omnibus, quod cum in temptationibus sumus, contra aéreas potestates pugnare precipimus: quia sine victoria coronari non possumus. Et si adversarius deest, nec est quem vincamus: ideoque corona deerit, quam non nisi vincentes capiemus. Hoc qui ignorat, in bello est, & quasi in pace exultat, & cō frequentiū vulneratur, quod securior est; quia nescit videre quem caveat. Digne ergo C à pugnatoribus secesserit, ut vestigia gregum sequatur: quia dum prudentes quoque imitari negligit, necessariò reprobus sequitur, quos stultitia brutis animalibus similes fecit. [Et pase hædos tuos juxta tabernacula pastorum.] Per hædos, immunda cogitationes designantur: per tabernacula pastorum, conventicula hereticorum exprimuntur. Qui ergo pugnare nescit, juxta tabernacula pastorum hædos pascit: quia quisquis obstinentibus temptationum gladiis viriliter non resistit, immundas cogitationes quasi hædos lascivos in corde nutrit, & efficiunt ei similis etiam qui à fide recedit. Anima vero quæ sponsa Christi effici concupiscit, qualiter se habeat, Christus eam docet, cum ei per comparationem protinus dicit:

- C *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.*

X.

Scimus quia equitatus Israëliticus, currus Pharaonis fugiens in mari demersos reliquit; nec tamen statim terram reprobmissionis intravit, sed prius multas temptationes in eremo quadraginta annis sustinuit, multos reges multis laboribus expugnavit, & sic tandem quod promissum sibi fuerat, laboriosè acquisitum suscepit. Huic sancta anima sponsi amica simili efficitur, quæ prius in Baptismo omnia peccata sua extincta, quasi Pharaonis exercitum reliquit; & post, dum inter hujus mundi habitatores, malignos videlicet spiritus, vivit, imminentia vita quasi reges alienos prosternit, & sic tandem ad beatam terram, in qua cum sponso delectetur, pervenit. Cui bene dicitur quod subditur:

- D *Pulchre sunt genæ tuae sicut turturis: collum tuum sicut monilia.*

XI.

Turtur postquam parem suum perdiderit semel, numquam alteri se jungit, sed semper solitarie habitanus in gemitu perseverat; quia quem diligebat non inveniens querit. Sic sancta quæque anima dum a sponso suo absens est, ab eis amore non recedit, sed in ejus desiderium semper anhelat & gemit: & dum illum quem valde diligit, non invenit, quia ab

Gg

omni alieno amore se retrahit, quasi in genarum A verecundia castitatem cordis ipso habitu & actu exteriori ostendit. Sequitur: [*Collum tuum sicut monilia.*] Per collum sponsæ, predicatores sanctæ Ecclesiæ designantur. Monilibus predicatores comparantur, vel quia Ecclesiæ sunt ornamentum, vel quia Ecclesiæ muniunt, ut peccatum monile; vel à rotunditate, id est, perfectione. In monilibus gemmae in auro ponuntur. Per aurum quippe sapientia, per lapides opera exprimuntur. Collum ergo sponsæ sicut monilia existit; quia quilibet reetus Ecclesiæ predicator & sapientiam interiorum se induit, & opera exteriorius exercet, quæ in sapientia videt. Cui & adhuc dicitur:

XII. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

Murena-piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cuius exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur: qua designatur prædictatio, quæ auribus inhæret, & eas penetrat. Murenulis monilia collo ligantur; quia & sapientia & religio à scripturis sanctis predicatoribus adjungit. Per murenulas enim sancta scriptura intelligitur. Quæ bene auro & argento vermiculatae dicuntur; quia & sapientiam sancta scriptura fulget, & sonora prædicatione per universum mundum auditur. Sicut enim per aurum sapientia, sic per argentum sancta prædictio demonstratur. His verbis sponsi sponsa respondet, & per corporaes rerum species amorem intimat, quo spiritualiter intus ardet, dicens:

XIII. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

Nardus est herba humilis, quæ gustata frigus expellit, & calefacit membra. Accubitum suum rex tunc intravit, quando Dominus noster Jesus Christus corporaliter cœli interiora penetravit. Quo ibi requiecent, nardus sponsa odorem suum dedit: quia virtus sancta Ecclesiæ suavem famam bonitatis longè lateque sparsit. Ad celos enim Dominus ascendit, & spiritum sanctum suum super discipulos misit: quo impletæ verba salutis mundo prædicarent, & per sancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent. Hunc quippe spiritum in Baptismo unaquaque fidelis anima recipit; ut per cum sibi ex virtutum confectione unguenta componat, & proximos exempli exhibitione quasi unguenti odore reficiat. Sequitur:

XIV. *Fasciculus myrræ dilectus mens mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Mortuorum corpora myrrâ condiri solent, ne putrefiant. Myrrham quippe corporibus ne putrefiant adhibemus, dum membra nostra in Christi exemplum, per eorumdem mortificationem à putredine luxuriae restringimus; ne dum ea sine condimento dimiserimus, disoluta putredine escam verminibus eternis faciamus. Sed quid est quod dilectum suum sponsa non myrram, sed fasciculum myrræ nominat, nisi quod dum sancta mens Christi vitam ex omni parte considerat, contra omnia vitia ex ejus imitatione repugnantes virtutes congregat: ex quibus sibi fasciculum myrræ aptat, quod carnis sua putredinem sempiternam abstergat? Qui bene inter ubera commorari dicitur, quia in dilectione Dei & proximi habitatio Christi sancta adificatur. Sancta quippe anima dum Deum sic diligit, ut proximum non contemnat, & proximi amorem sic exequitur, ut divinum non minuat, procul dubio ubera in pectora sibi locat, quibus Christum amplectens ips-

sum nutriat. Quasi enim uberibus Christus nutritus robatur, dum hac gemina dilectione, ut fortius inhæreat, delectatur. De quo & adhuc dicitur:

Botrus Cyperi dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

Cyprus insula est, in qua ubiores vineæ quam alibi nascuntur. Per Cyprus ergo Ecclesia universalis designatur, quæ multas vineas nutrit, dum in multas Ecclesiæ divisa, vinum quod lætitat cor hominis, gignit. In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, pontificali benedictione christina efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur. Engaddi interpretatur fons hædi. Hædus autem antiquitus pro peccatis immolabatur. Quid ergo per fontem hædi nisi baptismus Christi figuratur? In quo dum corpus mergitur, anima abluitur, & per illius fidem qui pro peccatoribus mortem perculit, anima humana à peccatis omnibus mundari se credit. Cui mox dilectus respondet:

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.

Bis pulchram sponsus sponsam suam vocat; quia cui dilectionem Dei & proximi donat, geminam pulchritudinem ei inserit, qua delectatur, & quam laudat. Cujus oculi bene columbarum esse perhibentur; quia dum in temporalibus gemit, & ad æternam desideria rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, & carnales concupiscentias detestatur. Columba quippe in amore pro canto gemit. Et bene sancta anima columba comparatur: quia dum reprobi quique in amore mundi gariunt & latentur, mens electa in celesti desiderio attenetur: quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur. Possunt etiam per oculos columbarum, Ecclesiæ prædicatores intelligi; qui simplicitatem quam prædicant, servant, & visibilia contemnentes, ad æternam cum magnis gemitibus anhelant. Sequitur vox sponsæ dicentis:

Ecce tu pulcher es dilecte mi, et decorus: lectus noster floridus, tigna domorum nostrorum cedrina, laquearia cypresina.

Pulcher & decorus dilectus dicitur, quia in divinitate & humanitate ab omni amanti se mente sine macula reprehensionis aspicitur. Quem dum sponsa pleno desiderio sequitur, omnium mundi perturbationum oblitiviscitur: & dum in ejus pace quiescit, magis ac magis decoratur. Unde sequitur: [*Lectus noster floridus.*] Quid per lectulum sponsæ, nisi otij quietem intelligimus: Mens enim quæ sponsum suum Christum singulariter amat, inquantum potest, ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, virtutes quibus sponso suo placeat, intus accumulat. Quæ dum omnia quæ temporalia sunt contemnit, lectulum sibi cum sponso in pace victoria facit, ubi quod quietius pausat, ed amplius flores invenit quibus se decorare sponso ostendat. Sequitur: [*Tigna domorum nostrorum cedrina, laquearia cypresina.*] Cedrus quæ serpentes reprimit & fugat, sublimiores significat sanctos, cypresus simpliciores. Per tigna etiam dilectionem Dei possimus intelligere, per laquearia dilectionem proximi, quæ sunt partes virtutis eminentioris in cordibus sanctorum, quæ sunt domus Dei. Cedrina verò & cypresina ideo dicuntur, quia sicut hæc ligna incorpribilia sunt, ita charitas numquam excidit. Per domos, plures Ecclesiæ intelligimus, per laquearia cypresina ipsos populos figuramus. Tigna enim rectum sustentant, laquearia verò domum implent

& ornant. Sic sic in sancta Ecclesia praedicatorum boni scripturarum divitiae in corde & ore porrant, quam fidelibus quasi teatum expandentes praedican; ut dum Ecclesia praedicatione caelesti instruitur, munimen accipiat, quo ab imbris tentacionis protegatur. Cedrus autem & cypressus impetrabilis ligna esse perhibentur. Quibus bene omnes electi figurantur: quia dum temporalia nullo desiderio seellantur, aeterni sunt, eo quod mente in aeterna figuruntur. Responde sponus & dicit:

CAPUT II.

I. *Ego flos campi, & lily convallium.*

Bene florem Christus se nominat, qui dum spinas peccatorum exterminat, mentem sponsae & pulchritudine suae justitiae exornat, & naribus cordis dum caeleste desiderium applicat, interiora animae quasi odore refocillat. Qui sequitur adhuc & dicit:

II. *Sicut lily inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Bene sicut lily inter spinas, sponsa inter filias esse perhibetur: quia cum multi sint in Ecclesia qui solis verbis Christum confitentur, operibus vero nihil nisi humanas sollicitudines seellantur, dum sola illa anima in lily dignitate computatur, quae a mortalitatis radice ad caelestem pulchritudinem assurgit, & munditiae candorem corde & corpore sibi custodit, & proximos quoque bona opinionis odore reficit. Sed quia sponsus sponsum suam tanta laude dignam habuit, ipsa jam ex debito laudat, a quo laudari perspicit, & dicit:

III. *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.*

Ligna silvestria eslui hominum habiles fructus non gignunt: malus vero quod gignit, congrue & salubriter homines edunt. Merito ergo per malum Christus, per silvestra vero ligna ceteri homines figurantur: quia in solo Christo cibum salutis quoties invenimus; in ejus verbis & exemplis animas nostras fructu suavi & salubri reficimus. Ipse est quippe lignum vitae, quam nobis tribuit. Ipse est qui dum nobis semper ipsum inspirat, animam pascit. In ceteris vero si quid refocillationis invenimus, non quod illorum, sed quod Christi est, ab illis sumimus: quia quidquid in eis praeter Deum est, mortiferum nobis proculdubio invenimus.

IV. *Sub umbra illius quem desiderabam, sed: & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Umbra Christi, protectio est Spiritus sancti. Spiritus quippe sanctus mentem quam replet, obumbrat: quia omnem tentationum fervorem temperat; & dum anima sua inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxijs caloris sustinet. Ebat expellit; & quam iam forsitan nimius vitiorum astus marcidam fecerat, umbra sancti Spiritus protegens recreat: ut dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligat quibus ad aeternam vitam robustius currat. Sequitur: [*Et fructus ejus dulcis gutturi meo.*] Arbor quippe fructifera ipse Christus in corde nostro plantatus per fidem existit: quam si mens nostra dignè diligit, & instanter excolit, fructus nimis interius pulchros & utiles gignit. Quos dum mens capiens avidè comedit, omnes mundi voluptates pro ejus dulcedine postponit. Dulce enim est valde sibi caelestia cogitare, in aeternitate oculum intimum figere, ut

S. Greg. Tom. III.

A aliquando in fletibus etiam mens accensa compungatur, & inter lacrymas sublevata, Angelorum cibo, ipsa videlicet sapientia, quanto dulcius, tanto avidius pascatur. Inde est quod subditur:

Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

V.

Quid enim per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanae aeternitatis contemplationem accipimus? In hac aeternitate Angeli sancti vino sapientiae inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spirituali satiantur. Hanc sancta mens si a sposo introducatur, postpositis omnibus temporalibus intrat, in qua ex illis angelicis deliciis quantum sibi conceditur, gustat. Et si adhuc quia in corpore corruptibili detinetur, se perfectè non satiat, tamen ex illo minimo quod cursum sumit, considerat quantum debeat amare quod amat. Potest tamen per cellam vinariam scriptura divina figurari. Per hanc quippe in sponsa charitas ordinatur, quia in ejus doctrina manifestè discitur, qualiter Deus & proximus ordinatè diligentur. Hac charitate percussa sequitur & dicit:

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo.

VI.

Per flores, teneri quique & incipientes; per mala verò, perfecti fideles designantur. Sponsa quippe Lib. 2. in Ezech. 36. 15. quia amore languet, fulciri le floribus & stipari malis appetit: quia dum se aeternitatis desiderio afficit, dum qualiter illuc perveniat, tota anxietate perquirit, coquid perfectionem dum in carne vivit, omnino non inventa, fatigata in desiderio suo requiecit. Et in hoc solo gaudet, si circa se respicit vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum præfectione consolationem de languore suo recipere possit. Quibus de sposo suo sublequeretur haec dicit:

Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

VII.

Per laevam sponsi vita praesens, per dexteram vero vita aeterna designatur. Per caput autem sponsæ, mens quæ animæ principatur, adsumitur. Sed laeva sponsi sub capite sponsæ esse dicitur, & dextera ejus amplexatur eam; quia vitam temporalem sub mente sua semper ponit, vitam vero aeternam ut omni modo amplexetur concupiscit. Haec quippe quæ videt, magnanimitate mente sublimi conculcat, officiis caelestibus se occupat. Haec necessitate tolerat, ad illa summo desiderio quasi brachio dextero sponsi astricta suspirat. In qua cum aliquantulum intrat, delectabiliter quiescit, cuius quietis dilectione mandanos tumultus omnino fastidit. Sic quiescentem utique sponsus amplius diligit, & ab ejus excitacione improbos quoque repellit, dicens:

Adjuro vos filie Hierusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitatis, neque vigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

VIII.

Cervi & capre munda animalia in lege esse perhibentur. Quid ergo per cervos & capreas, nisi fidem, spem, & charitatem accipimus? Quas dum nobis mundas servamus, per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima sponsa Christi à cunctis mundi perturbationibus quiete appetit, in sinu sponsi solitatis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit; ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, soliusque sponsi colocatione quanto quietius, tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem carnales qui sunt in

Gg ij

Ecclesia, nonnumquam importunè excitant, negotiis mundi eam implicare desiderant: quia ejus vitam inutilem existimant, dum ab eorum curis eam se abstinentem considerant. Hi tales satis congruè non filii, sed filii nominantur: quia dum effeminatos mores nutriti virili dignitate amissa, quales interius habentur, exterius nomine femineo designantur. Hi dilectam suscitare sub adjurationis pondere prohibentur; ne videlicet mentem quæ ad vacandum Deo se accingit, & solis spiritualibus studiis inhærere concupiscit, importunis sollicitationibus inquietent, & tenebris curarum terrenarum oculum cordis ejus obnubilent. Et tamen non ei omnis cura proximi interdictur, sed quando suscitarci debet, ejus voluntati relinquuntur: quia profectò omni perfectæ animæ discernendum est & quando celesti contemplationi studeat, & quando proximorum utilitatibus inferiat. Hanc vacandi Deo licentiam libentissimè sponsa suscipit, statimque verbum sponsi amplectitur & dicit:

IX. *Vox dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.*

Ac si diceret: Hanc vocem dilecti mei sponsi esse recognosco, hanc ab ejus ore semper audire desidero: quia in hoc video quantum me diligit, cum me ab amplexibus ejus desiderabilibus impediri prohibeat. Ad hos amplexus qualiter pervenerit, subito narrat, dicens: [Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.] Ad amplexus sponsæ suæ Christus venire disponens, humanitatem nostram dignanter assumpit. Ad quod mysterium peragendum, quasi saliens in montibus venit: quia quedam opera inter homines ostendit, quia valde sublimia & super homines esse perspiciens humanum genus admirari potuit, sed attingere nequivit. Quod enim de virginate natus est, quod ad vagientem adorandum ire pastores Angelus admonuit, Magos stellam perduxit: quod pendens in cruce qua hora voluit spiritum emisit: quod mortuus tercia die seipsum suscitavit: quod cælum ingressus, Spiritum sanctum quibus sibi placuit donavit: quod fidei sua per pescatores & idiotas mundum subjugavit: hæc faciens quasi in montibus ambulavit, quod cum nulla creatura assequi valuit. In his nimis operibus colles transilivit: quia sanctos omnes, quantumcumque ex reverent, potentiam sue operationis transcendent. De quo & sequitur:

X. *Similis est dilectus meus caprea, hinnuloque cervorum.*

Similis caprea esse dicitur; quia ex synagoga eam traxit, quæ per capream ostenditur. Et quia ex antiquorum sanctorum stirpe progenitus est, quasi hinnulus cervorum recte esse perhibetur. Sequitur:

XI. *En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

Quasi post parietem nostrum Christus incarnatus stetit; quia in humanitate assumpta divinitas latuit. Et quia ejus immensitatem si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum objectit; & quidquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit. Per fenestras autem & cancellos qui aspicit, partim videtur, partim vero se abscondit. Sic & Dominus Jesus Christus dum & miracula per divinitatis potentiam fecit, & abjecta per carnis infirmitatem pertulit, quasi per fenestram & cancellos prospexit: quia in alio latens, in alio quis esset apparuit. Incarnatus itaque Ecclesia sua, vel uniuersique perfectæ animæ loquitur, & ad æternam exhortatur patriam, dicens:

*Lib. 2. in
Ezech.
hom. 13.*

*En dilectus meus loquitur mibi: Surge, XII.
propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.*

Propter fidem Christus sponsam suam amicam vocat, columbam proper simplicitatem, formosam proper operationem. Quia enim sine fide Deo placere non possumus, bene per fidem amici vocamus; quia dum fide cælestia appetimus, abjectis terrenis Deo adhæremus. Columba vero bene anima proper simplicitatem dicitur; quia anima devota dum simplicem Deum cordis simplicitate perscrutatur, nequam mundi inepitam letitiam dissoluta sectatur, sed semper ad æterna festinans, columba geometum pro cantu diligendo imitatur. Propter operationem, anima formosa recte appellatur: quia dum præterita vita peccata per bona opera redimit, quasi antiquam turpitudinem assumpta forma meliori ante sponsi oculos abscondit. Hanc itaque horatatur sponsus ut surgat & veniat; quia dignum est ut quicunque ad amorem Christi properat, carnis torpore quantum potest abjiciat, & se ad æterna consequenda celeriter accingat. Sed quia ut ad cælestia festinamus per exhibitionem novi Testamenti à Deo accepimus, ideo recte sequitur:

*Iam enim hiems transit, imber abiit & XIII.
recessit.*

Quid per hiemem, nisi legis auferitas intelligentia est? Quæ dum in carnibus sacrificiis populum antiquum detinuit, ad appetenda spiritualia & cælestia observatores suos non adjuvit. Possumus etiam per hiemem vitam præsentem intelligere, quæ dum nos astutis tentationibus imperit, quasi imbris importunis ad sequendum Christum torpore compellit. Sed jam sponsa surgat, quia hiems transit: quoniam quantum magis dies ultimus instat, præsens vita recedit; & quod amplius tempus ad terminum ducitur, eo citius currendum est, ne electa anima oblatis sibi muneribus æternis privetur. Transit enim dicitur, quia in proximo transitura esse non dubitatur. Sequitur:

*Flores apparuerunt in terra nostra, tempus XV.
putationis advenit.*

Flores apparuisse in terra dicuntur; quia sanctæ animæ cum à corporibus recedunt, in cælo recipiuntur. Et quia in hac vita quamvis hiems fuerit, à bono opere non torpuerunt, mox ut recesserunt, in terra viventium gloriösè floruerunt. Bene ergo sequitur quod dicit. [Tempus putationis advenit:] quia quod amplior electorum numerus in cælo congregatur, eo celerius reprobi ab Ecclesia tamquam farmenta inutilia amputantur, ut mundus citius finiatur. Sequitur:

*Vox turturis auditæ est in terra nostra: fucus XV.
protulit grossos suos, vineæ florentes dede-
runt odorem suum.*

Quid per turturam, nisi Ecclesia; quid per terram sponsi, nisi vita illa beata designatur? Sed vox turturis in terra sponsi auditæ esse dicitur; quia dum pro desiderio suo sancta Ecclesia deprecatur, à Christo in cælo clementissime exauditur. De qua recte subditur: [Fucus protulit grossos suos, vineæ floren-tes dederunt odorem suum.] Fucus quippe grossos suos protulit; quia sancta Ecclesia Martyres suos ad æternam patriam præmisit. Post quos vineæ florentes odorem suum dederunt; quia per universum mundum exempla bonorum operum ex reverent. Vineæ utique flores producent, cum singulæ Ecclesia ani-

mas prius infideles ad fidei novitatem per Baptismum educunt. Sed flores ipsi odorem proferunt, cum credentes animæ exempla bona per suayem opinionem sibi invicem & aliis aspergunt. Sed quia Christus utroque modo exhortationis nos trahit, ut videlicet & præceptis nos admoneat, & exemplis sanctorum nos erigit, idcirco sponse sua prius ut surgeret admonendo præcepit, & deinde exempla sanctorum ad cognitionem adduxit, & post exemplorum exhibitionem iterum se ad præcepti commonitionem convertit, dicens :

XVI. *Surge amica mea, soror mea, & veni, columba mea in foraminibus petrae, in caverna macerie.*

Surgit anima, cum à peccati perpetratione se erigit: venit, cum per bona opera desiderij sancti passibus ad cælestia tendit. Sancta etenim mens cum præteritæ vite turpitudines conficit, cum peccata sua enumerat quæ fecit, mox secum in conscientia erubescit, & quacumque in mundo dilexerat, ad odium sibi transversis flentibus se punit; & ipsa penitentiæ facta robustior, ab omni iniquitatione etiam cogitationis exilit, & ab omni torpe negligentiæ se excutit; ut jam in infinitis cogitationibus non jaecat, sed ad appetenda invisibilia per sancta desideria se extendet. Hæc itaque mens surgit & venit; quia & à torporis infirmitate per compunctionem se erigit, & in sanctis studiis se exercens, ad externa pedibus amoris currit. Per foramina autem petrae, vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentes libenter intellexerim. Cavernam verò macerie, vulnus lateris quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petrae & in caverna mazerie esse dicitur: quia dum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum quo convalescat, inventit. Possunt tamen per foramina petrae, incarnationis Christi sacramenta signari, & per cavernam mazerie, ipsa protecção angelica custodiæ figurari. In qua custodia cum anima ponitur, bene eiā sponsio dicitur :

XVII. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Quid enim per faciem, nisi fidem qua à Deo cognoscimus, accipimus? Et quid per vocem, nisi prædicationem intelligimus? Sed præcipit sponsus ut ei sponsa faciem suam ostendat: quia quicumque se fidem dicere habere, necesse est ut in bonis operibus se exerceat; ut in operibus exterioribus fides interior innotescat. Sed & opera necesse est ut vox prædicationis sequatur: quia quicumque in sanctis operibus perfecte se dilatet, consequens est ut ad eadem facienda proximos quosque exhortetur. Ideo sequitur: [*Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*] Tunc enim & vox placet, & facies decoratur, quando & opera prædicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera comitantur. Hujusmodi prædictoribus consequenter dicitur :

XVIII. *Capite nobis vultus parvulas, que demoluntur vineas: nam vinea nostra floruit.*

Per vultus hereticorum, per vineas singulæ Ecclesiæ designantur. Sed vultus vineas demoluntur; quia per hereticos Ecclesiæ à rectâ fidei viriditate exciscantur. Quæ bene parvula dicuntur; quia quamvis contra veritatem intus superbiant, exterius tamen in verbis humilitatem per simulationem sestan-

A tur. Quæ tunc à sanctis prædictoribus capiuntur, quando instantे altercatione, sententiis veritatis convincuntur. Prædictores quippe sancti aliquando canes per similitudinem dicuntur: quia prædicationibus assiduis, quasi latribus importunitis, adversarios quosque à grege ovium arcere nituntur. Iste canes vultus Christo capiunt; quia ducem suum dum fideliter diligunt, pro ejus amore laborantes, tergiversantes hereticos ab involutionibus quæstiōnum, quasi à tenebris caveis ad lucem veritatis educunt. Quare verò vulpium demolitio timeatur, manifestatur cum dicitur: [*Nam vinea nostra floruit.*] Vinea quippe floruit; quia sancta Ecclesia per Baptismum filios ad fidei novam conversationem perduxit. Quibus timendum est ne ab hereticis de- præventur; quia dum quique fideles in novitatem Christi regenerantur, quid quisque tenerior est, eò citius ad pravitatem seducitur. Floribus omnino timendum est, ne pereant: quia dum adhuc quisque ad perfectionem per exercitum diuturnum non convuluit, facilè si à dente veneno mordetur, ab hoc quod nactus fuerat, evanescit. Perfecta enim quæque anima in quo se jam diu exercuit, facile non amittit: quia quid frequentius palato intimo quam dulcis sit Dominus gustavit, eò constantius sponsi restitudinem teneret, & distorta fastidit. Quæ prosequitur convenienter, & dicit:

B *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspireret dies, & inclinetur umbra.*

C Ac si diceret: Dilecti mei amicitiam constanter tenuo, quia eus constantem benevolentiam erga me sentio. Quia dum ejus familiaritatem benignam habeo, durum mihi est quidquid ei adversum inimicos latrantes audio. Et dum in ejus assiduitate qualis sit video, si quid erroris proferunt adversarij, à veritate quam in ejus visione cognovi, non recedo. De quo bene sequitur: [*Qui pascitur inter lilia, donec aspireret dies, & inclinetur umbra.*] Quid per lilia, nisi mundæ animæ designantur? Quæ dum castitatem candorem retinent, per bona fama opinionem proximis quibusque suaviter olent. Inter lilia sponsus ergo pascitur; quia procul dubio animarum castitatem delectatur, quæ & in se munditiam carnis conservant, & per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis quasi odoris suavitatem donant. Dies verò tunc aspirabit, & umbra inclinabuntur; quando vita eterna apparebit, & praesens vita finietur. Hæc quippe nox est, ibi vero dies erit: quia hic in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus elucebit. Ad hanc prorsus diem sanctæ animæ eniuntur ut perveniant: propter hanc, iustitiam illibatam in quantum possunt conservant: & quia sine Christo nihil possunt, ejus auxilium invocant, ejus familiaritatem desiderant. Quarum dum mentem considerat, prope est benignus & adjuvat; & quid amplius proficiunt, eò familiaritatem semper amat, donec finitis tenebris mundi ad vita eterna lucem perfectas educat. Quam lucem quia valde desiderant, eamque cum Dominus ad judicium venerit, videndam esse putant, idcirco cum summo desiderio dicunt:

E *Revertere, similis esto dilectus mihi capreæ, hinc nuloque cervorum super montes Bethel.*

A nobis dilectus corporaliter tunc abiit, quando post resurrectionem in celum ascendit. Tunc autem revertetur, quando in fine mundi resuscitatis corporibus hominum, omnibus in judicio manifestabitur. Qui verè similis capreæ & hinnulo cervorum apparabit: quia in carne nostra veniens ad judicium, omnibus se monstrabit. Per capream enim,

Gg iii

que mundum est animal, Ecclesia designatur; que A dum in cœlestibus mente habitat, quasi in montibus pascitur. Per cervos autem quid aliud quam patres antiqui designantur, ex quorum carne Christus natus, quasi hinnulus cervorum mundo est presentatus? Bethel autem domus Dei interpretatur. Que bene Ecclesia Dei dicitur; quia in ea Dominus habitat, dum per fidem corda nostra mundantur. Super montes ergo Bethel similes capreæ hinnuloque cervorum apparebit; quia in ea humanitas forma ad judicium veniet, quam ab Ecclesia sumpsit, quando in hoc mundo ex patrum progenie quasi hinnulus ex cervis humilis natus fuit. Qui verè & similis capreæ, & super montes Bethel apparebit: quia & ex humanitate quidem similes Ecclesia erit, & tamen super ipsos summos, qui quasi montes excellunt, in Ecclesia sublimior eminebit. Qui dum venire moratur, quia eum semper sancta anima perquirere nititur, ideo sequitur:

C A P U T I I I .

I. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inventi.*

*Lib. 23.
Mor. c.
23. S.
August.
in Ps. 36.*

Lectulum sibi sancta anima in nocte facit, dum omnes perturbationes mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescit. In hoc lectulo quem diligit querit; quia dum ab omnibus sollicititudinibus mundi vacat, in ejus inquisitione quo modo ad C illum perveniat, non quiescit. Notandum est autem quia per noctes querit, qui modò in hoc mundo vivit, & perfectè tenebras temporalitatis à se non excutit. Quas quid graviores patitur, eò ferventius querit eum; quo invento, tenebras amplius non patietur. Sed quia quem querit, numquam perfetè in hoc mundo invenit, ideo subiungit: [*Quæsivi illum, & non inveni.*] Quia verò maximo desiderio astutus, & quidquid tener, eum non sufficit, donec dilectum inveniat, ideo constantiam inquisitionis subiungit, dicens:

II. *Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateas queram quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.*

Mai. 7. d.

Quid per civitatem in hoc loco, nisi Ecclesiam: quid per vicos civitatis, nisi spiritales quoque accipimus? Qui dum ad cœlestia tota corde gradiuuntur, angustam viam tenent, qua ad vitam perducantur. Per plateas autem, seculares designantur, qui dum voluptates suas multas sequuntur, latas vias graduentur. Surgit ergo sponsa & civitatem circuit, quia perfecta anima quæ visibilia fastidit, omnes sanctos qui sunt vel fuerunt in Ecclesia, mente conspicit, si quid forè in eorum actibus reperi poterit, quod imitando, ad sponsi inventionem aliquando pervenire possit. Per vicos autem & plateas querit: quia dum per honorum imitationem ad dilecti familiares amplexus pervenire satagit, non solum in spiritualibus, sed & in ipsis etiam carnalibus aliquando invenit quod imitari dignè possit. Sed postquam laborem geminatum inquisitionis insinuavit, iterum difficultatem inventionis subdit, dicens: [*Quæsivi illum, & non inveni.*] Sed dum querit & non invenit, ipsa etiam queritur & invenitur, & ideo subditur:

III. *Invenierunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidissis?*

Quid per vigiles, nisi doctores Ecclesia designantur? Qui dum lucrandis animabus & scriptis & diatribis invigilant, ubi sancti desiderij aliquantulum

A sentiunt, augmentare ad melius numquam cessant. Hisponsam quærentem inveniunt: quia piam animam Christum invenire fataginem exipient, & ut citius inveniat, præceptis instruunt, exemplis accidunt. Quos illa interrogans, dicit: [*Nunquid diligit anima mea vidissis?*] Bene eos sponsa interrogare dicitur; quia dum eorum scripta vel verba vigilanti studio perscrutatur, tamquam presensibus etiam absentibus animi intentione loquens, quid de Christo senserint, sciscitur. Quia vero dum in eos omnino intendit, numquam sponsum invenit, consequenter subiungit:

Paululum cum pertransisem eos, inveni quem diligit anima mea.

Paululum vigiles transit, & dilectum invenit; quia dum eos puros homines esse cogitat, ad divinitatem mentem erigit, ibique sponsum suum supra homines Patri æqualem cognoscit. Quem tunc invenisse se dicit, quum sanctis laboribus adjuta, in ejus divinitatem claritatem oculum fidei tamquam per speculum contemplando aliquantulum figit. Quod tantillum quanta aviditate mentis suscipiat, ostendit, dicens:

Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Mater Ecclesie synagoga exitit; quia ex ipsa sanctos prædictores habuit, à quibus verbum veritatis suscepit, per quod in fide regenerata fuit. Tener ergo sponsum Ecclesia donec in domum matris cum introducat: quia usque in finem mundi ab ejus fide & opere & amore non recedit, donec ad fidem Judæos adducat. Non quid postea recedat: quippe quem in exilio diligit, in patria videns amplius amabit. Sed de illo tempore dici debuit, de quo à quibuslibet propter obstantes tentationes dubitari potuit. In domum ergo matris dilectum introducer, quando in fine mundi Ecclesia per prædicationem in plebem Judæicam Christiana sacramenta immitter. In cubiculum autem quasi in secretiore partem domus eum introducat: quia ex eadem plebe ita plurimos convertet, ut omnes mundi sarcinas abjiciant, & in intimis cogitationibus soli Deo placere concupiscant. Hujuscemodi homines cubiculum facient sponso: quia dum à se omnes fortes cupiditatis abjiciunt, quasi secretum locum in mente in quo delectetur, component. A quorum inquietatione in eis delectabiliter pausans sponsus, improbos prohibet, iterum dicens:

Adjuro vos filia Hierusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

E In hoc utique ostendit, quia ejusdem perfectionis quidam de synagoga post conversionem inveniunt, cuius de Ecclesia quamplurimos inveniunt: dum in eorum quiete similiter delectantur, ab eis inquietatores prohibet, sicut ab Ecclesia prohibuit. Introducta ergo ad fidem synagoga, Ecclesia mentem per opera quæ videt, conspicit, & sublimitatem ejus valde admirans, dicit:

Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula summi ex aromatibus myrræ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij?

In deserto utique in hoc mundo Ecclesia, sive sancta quæque anima vivit, dum à regno exul inter bestias, dæmones videlicet, degit. Hic enim eti non

omnino à sponso deseritur, tamen dum in carne est, nondum ad certam ejus visionem admittitur, dum ab eo per exilia & tentationes peregrinatur: quia dum adhuc cum eo non regnat, deserit ab eo sibi videtur. Ob hoc semper laborat ut ascendat, ut quem valde diligit, magis ac magis sentiat; quatenus quoniam perfectè eum in deserto non tenet, vel ipso ejus desiderio se reficiat; ut sic in via laborata, quandoque ad hoc quod diu concupivit, perveniat. Sunt quippe nonnulli qui dum omnia visibilia studiunt, mentem in caelestia erigunt: & quia in infinitis nihil quod eis dulcescat, conspiciunt, totum cor ad superna amanda convertunt. Hi ab omnibus malis moribus se exunt, censem mundi cum cupiditatibus contemnunt, spe ad invisibilium tendunt; & quò ampliori desiderio illis inherent, eò magis ac magis molestè corruptionem ferunt quam habent. Hi nimurum per desertum ascendunt: quia dum in hoc mundo inter tentationes vivunt, quò amplius dum hinc morantur deserit metuant, eò quidem fortius ista deserunt, & ferventius ad illa graduentur, in quibus cùm fuerint, nihil amplius quod eos amovent, jam timebunt. Bene autem sicut virgula fumi ascendere dicuntur: quia & odorem bone famae, & subtilitatem mentis habere dicuntur. Non autem quarumliber rerum fumus iste esse dicitur, sed ex aromatibus myrræ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij existere declaratur. Myrrah quippe mortuorum corpora condjuunt ne putrefiant: thura vero accenduntur, ut redoleant. Per myrrham ergo, carnis mortificatio designatur; per thus vero, orationum munditia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem suam à putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi myrrham mortuo corpori adhibet; ut post judicium à corruptione æterna sanum permaneat. Cùm vero se ad caelestia majori desiderio accedit, & à cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abicit, quasi thuribulum cor suum coram Deo facit. In quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat, in quo seipsum mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dumque ferventes & mundas orationes ad Deum emitunt, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit; ut coram dilecto suave redoleat, & proximos quosque ad ejus amorem per bona exempla concitate non definat. Sed notandum, quòd non ait, universi pigmenti, sed universi pulveris pigmentarij. Pigmenta quippe facimus, quando virtutes congregamus in corde. Quando vero ipsas nostras virtutes per singula quæque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus nostris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat, tunc procul dubio unguenta virtutum quasi in pulverem tundimus; ut eò mundiora sint opera nostra, quòd subilius ea ab omni subceptione vitiorum discernere non cessamus. Hujuscemodi mentes dilecta suo delectabiles se per ejus gratiam faciunt, & dum ab omni mundo iteripi se dividunt, locum in quo sponsus requiescat, in scipis componunt. De qua reque subditur:

VIII. En lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiunt ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscunque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

Salomon quippe pacificus interpretatur. Quid ergo per Salomonem, nisi Christus intelligitur, de quo scriptum est: *Ipsa est pax nostra, qui fecit uirum unum?* Salomon ergo lectulum facimus, quando à mundi sollicitudinibus omnino cessamus, dum in solo desiderio Christi libenter pausamus, eique ut nobiscum pauset, cor ab omni terrena cupiditate

A mundamus. Denarius autem numerus si per senarium numerum multiplicetur, nimurum sexaginta complentur. Per denarium itaque Decalogum legis accipimus: per senarium autem totum hoc tempus intelligimus, quod sex diebus operatoriis volvi videntur. Per sexaginta igitur fortis, omnes perfectos qui fuerint ante nos in Ecclesia, intelligimus: qui dum decem præcepta legis quòd spiritualius, eò fortius in sex diebus compleverunt, quasi sexagenarium numerum perfecerunt. Hi lectulum Salomonis ambient; quia mentem sanctam in qua Christus pausat, verbis & exemplis munient, quibus ab aditu mentis venientes hostes repellunt, dum ipsam mentem exemplis sustinent, scriptis erudiant. Hi teneant gladios, & ad bella doctissimi existunt: quia dum verbum Dei opere complent, quod corde sciunt, magis ac magis semper docti hostem suum demonem scilicet sapientia & fortitudine vincunt. Per gladium enim verbum Dei designatur: per manus autem quibus gladios tenent, ipsa opera figurantur. De quibus bene subditur: [*Vmissu in que ensis sive femur suum propter timores nocturnos.*] *orig. in Numer. hom. 13. et in r. 30. ho. 2. 3.* Quid per ensim, nisi rigorem conversationis; & 2. *3.* quid per femur, nisi carnis appetitum accipimus? Electi ergo quique, qui jam ad perfectionem vita proiecti sunt, semper ensim super femur suum ferunt; quia rigore conversationis appetitum carnis assidue frangunt, ne hostis quem in nocte hujus mundi timent, repente veniens, mollem aditum inveniat, & per voluptatis molliitatem eò faciliter, quòd voluptuosiores invenerit, ad graviora peccata perducat. De laude itaque Salomonis adhuc subditur, cùm dicitur:

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constitavit, propter filias Hierusalem.

Ligna Libani imputribilia esse asseruntur. Ferculum ergo fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, quia secundum præscientia sua gratiam, Christus sanctam Ecclesiam de sanctis in aeternum permanens construxit. [*Columnas ejus fecit argenteas;*] quia eidem Ecclesia predicatori dedit, qui & ut cam exemplis sustentarent, magna justitia restituisse roboravit, & ut predicationibus erudirent, nitor eloquij, quasi splendore argenti, decoravit, [*Reclinatorium aureum*] fecit; quia dum in cordibus perfectorum resplenduit, eis divinitatis sui potentiam per contemplationem ostendit. In qua contemplatione dum eis pulchritudinem caelestium gaudiorum monstravit, quasi reclinatorium ex auro eis compositum; quia locum in quo se refocillantes requiescant, apposuit. Quod reclinatorium bene aureum esse dicitur: quia melior est sapientia cunctis opibus, & omnia que desiderantur, ei non possunt comparari. Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur, ita ut si necesse fuerit, etiam sanguis effundi permitatur. Ideo ascensus rectè purpureus esse dicitur. Dum enim sancti quique Martyres propter vitam eternam corpora sua ad supplicia tradiderunt, dum flagella, aculeos, ignes, gladios, & alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nonne ad reclinatorium istud, ad beatam scilicet vitam, per ascensum purpureum ascenderunt? Sed nos miserit quid agimus, qui in hoc ferculi columnæ argenteæ non sumus; quia sanctam Ecclesiam nec exemplis sustentamus, nec prædicatione docemus? In ea reclinatorium aureum non habemus; quia terrenis cogitationibus involuti, ad splendorem sapientia per contemplationem non assurgimus. Ascensum purpureum nec etiam cognoscimus; quia voluptatibus

vacantes , labores & persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus . Confolatur nos aliquantulum quod de hoc ferculo subditur : [*Media charitate constravit propter filias Hierusalem.*] Quid enim per filias Hierusalem , cum non filios , sed filias dixerit , intelligimus , nisi nos debiles , qui in Ecclesia non viri , sed feminæ sumus ; quia contra vitia fortiter non reluctamur , viriliter non resistimus , muliebriter subjacemus ? Hierusalem enim viatio pacis interpretatur , per quam Ecclesia , qua est mater nostra , designatur , eo quod assidue pacem perpetuam contemplatur . Si ergo nos in ferculo Regis columnæ argenteæ non sumus , reclinatorium aureum non habemus , per ascensum purpureum ascendere non valemus , saltem charitatem , qua communis omnibus electis quasi in medio posita est , teneamus . Per hanc quippe rex Salomon nos in ferculo suo esse cognoscit ; quia in eo cum columnis argenteis , cum reclinatorio aureo , cum ascensu purpureo , propter filias Hierusalem etiam media charitate constravit : quia cum Ecclesia membris ad eamdem sponsi beatitudinem pervenimus , si charitatem indefessam observamus . Sequitur :

- X. *Egredimini filia Sion , & videte regem Salomonem in diademate , quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius , & in die latitiae cordis ejus.*

Mater Christi beata Maria esse creditur , qua coronavit eum diademate ; quia humanitatem nostram ex ea ipse assumptum , sicut in Evangelio recitat . Et hoc in die desponsationis ejus & in die latitiae cordis ejus factum esse dicitur : quia quando unigenitus Filius Dei divinitatem suam humanitatem nostram copulare voluit , quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam sponsam suam sibi assumere placuit , tunc cum charitatis exultatione carnem nostram ex matre virginie suscipere voluit . In qua cum doloribus pro tempore vivens , de redemptione nostra vehementer exultavit . Sed cum diademata pro gloria assumatur , in humanitatis autem susceptione non gloria Verbi Dei , sed humilitas esse cognoscitur ; quomodo humanitate nostra quasi diademata coronatus fuisset dicitur ? Sed cum ipsa ejus incarnatio verè gloria nostra fuerit , quia membra ejus sumus propter communionem corporis , diadema membrorum bene capitis Scriptura predixit . Hic itaque quia à sponsa laudatur , & ipse vicissim sponsam laudare dignatur , dicens .

C A P U T I V .

- I. *Quam pulchra es amica mea , quam pulchra es et decora ! Oculi tui columbarum , absque eo quod intrinsecus latet.*

^{sup. c. i.} _{prope fin.} **Q**via hæc superius exposuimus , ut potuimus , nunc eadem repeterem propter brevitatem servandam devitamus . Sed quia his adjunctum est , [*Absque eo quod intrinsecus latet.*] breviter videntur eti quomodo superioribus conjungatur . Pulchra est ergo sponsa , & oculi ejus columbarum , absque eo quod intrinsecus latet , quod valde honestum est quidquid in exterioribus operatur , quod simpliciter inter homines converatur , quod ea quæ videt , temporaliter concupiscere designatur , & si quid tamen in hoc mundo placet , post concupiscentias suas ire detestatur . Sed vehementer pulchrius & honestius est , quod cordis desiderium illibatum retinere conatur , quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet , erecta contemplatur , quod in his quæ interiorius videret , suaviter requiescit , & mundatur . Sequitur :

Capilli tui sicut greges caprarum , que ascenderunt de monte Galaad.

II.

Si per oculos , prædicatores Ecclesiæ designantur , quia ceteris viam ostendunt , bene per capillos populi figurantur , quia eidem Ecclesiæ ornamentum tribuunt . Capilli ergo sponse sicut greci caprarum esse dicuntur ; quia populi Ecclesiæ dum præcepta legis ruminantes , celestia fide contemplantur , munda sunt animalia , & in altis pascuntur . Galaad autem acervus testimonij interpretatur . Quid autem per acervum testimonij , nisi multitudinem Martyrum intelligimus ? Qui dum fidem Christi insuperabiliter tenuerunt , eos testimonium veritati etiam per mortem suam perhibuisse scimus . Grex itaque iste caprarum de monte Galaad ascendit ; quia populus Ecclesiæ è magis fide se ad æternam suspendit , quod fortius sanctos Martyres eidem fidei testimonium perhibuisse scivit . Sequitur :

Dentes tui sicut greges tonsarum , que ascenderunt de lavacro : omnes gemellis fetibus , & sterilis non est inter illas.

III.

Sicut per oculos prædicatores intelliguntur , quia per eos Ecclesia illuminatur ; similiter & dentes ejusdem possunt dici , quia per eos infideles confunduntur , & parvuli nutriuntur . Dentes quippe bene sancti prædicatores vocantur ; quia dum sanctam scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant , quasi panem parvulis , tamquam matres filiis commasticant , quo infirmi ad fortiora convalescant . Hi nimur bene sicut greci tonsarum , que ascenderunt de lavacro , esse dicuntur ; quia dum se à peccatis omnibus in Baptismo ablutos esse recordantur , libenter onera mundi deponunt , ut ad celestia consequenda & prædicanda quod liberius , & facilius gradiantur . De quibus subditur : [*Omnis gemellis fetibus , & sterilis non est inter illas.*] Gemellos fetus omnes sancti prædicatores habent ; quia dum in duobus præceptis charitatis ceteros homines supereminunt , geminam dilectionem prædicant , & in ea duos populos , Iudaicum & Gentilem gignere non cessant . Inter quos nullus est sterilis ; quia profectò prædicator non est dicendus , si filios spiritalles gignere contemnit . De quibus adhuc subditur :

Sicut vitta coccinea labia tua , & eloquium tuum dulce.

IV.

Idem prædicatores labia Ecclesiæ dicuntur ; quia nimur per eos populis præcepta vita loquitur . Qui bene sicut vitta dicuntur ; quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt , quasi sparlos crines ne immoderatè diffiluant , reprimunt . Sed quid est quod non tantum vitta , sed coccinez comparantur , nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur , qua illi ardant , & per eos alij accendantur ? Per quos eloquium sancte Ecclesiæ dulcoratur : quia dum quæ dicunt faciunt , prædicationes suas hominibus quasi sapidas escas apponunt . Sequitur :

Sicut fragmen mali punici , ita gena tua , abque eo quod intrinsecus latet.

V.

Quid per genas Ecclesiæ , nisi eosdem ipsos prædicatores intelligimus , qui dum in populis ut eis proficiant eminent , quasi in facie Ecclesiæ manifesti apparent ? Per malum autem punicum ipsa Ecclesia designatur : quia dum multis populis in unitate fidei nutrit , quasi multa grana sub uno cortice strigit . Fragmen ergo mali punici sancti prædicatores existunt :

existunt: quia dum se in divino servitio ceteris fortius affligunt, dum omnia mundana contemnunt, dum voluntates suas abnegant, & vitia sua omnino mortificant, dum scipios humiliani, & ceteros extollunt, & dum per exempla sua ceteros nutriunt, quasi fratri & aperte cibos offerunt. Sed quamvis magna sint quæ extrinsecus apparent, majora tamen in occulto retinent, quæ divini oculi soli vident. Ideo subiunctum est: [*Absque eo quod intrinsecus latet.*] Sequitur:

VII. *Sicut turris David collum tuum, quæ adfiscata est cum propugnaculis: mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium.*

Collum quippe extendimus, quando longius prospicere volumus. Propter aliud ergo sancti predicatori oculi, propter aliud dentes, propter aliud autem genæ, & collum propter aliud convenienter vocantur. Bene igitur sicut turris David, collum sanctæ Ecclesie dicitur: quia sancti predicatori procul venientes hostes sanctæ Ecclesie speculantur, & fortiter resistunt, si quid in Ecclesia lèdere conantur, & liberè terrena despicientes, celestia contemplantur. Collum ergo propter hostium speculationem, turris verò dicuntur propter fortitudinem, & propter excelsam celestium gaudiorum contemplationem. Quæ turris recte David esse dicitur: quia David manu fortis interpretatur; per quod Christus significatur, cuius elli quidquid forte & excelsum operatur. De qua subditur: [*Quæ adfiscata est cum propugnaculis: mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium.*] Cum propugnaculis turris David adfiscata dicitur; quia sancti predicatori contra adversarios homines si necesse sit, miraculis armantur. Contra vitia autem se clypeis muniunt; quia ne spiritualibus hostibus succumbant, virtutibus se defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendet; quia quisquis hostium cuncis fortiter resistere vult, in eis exempla videt, quibus armatus hostes strenue valet superare. Mille autem hīc pro perfectione ponitur: quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. Sequitur:

VIII. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli caprae gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur umbra.*

Per duo ubera, duo prædicatorum ordines, unus in circumcisione, alius in præputio designantur. Qui bene sicut duo hinnuli caprae dicuntur; quia & filij synagoge existunt, & in montibus contemplacionum pascuntur. Gemelli verò ideo dicti sunt; quia concorditer prædicant, & concorditer sapiunt. In liliis verò pascuntur donec aspiret dies, & inclinentur umbra: quia munditiam infatigabiliter sectantur, donec in die iudicij præmia recipient, quæ in labore noctis assidue contemplantur. Sequitur sponsus, dicens:

VIII. *Vadom ad montem myrræ, & ad collem thuris.*

Quid per montem myrræ, nisi fortè altitudinem mortificationis in opere, & quid per collem thuris intelligimus, nisi altam humilitatem in oratione? Ad montem ergo myrræ & ad collem thuris sponsus vadit; quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiiorum ad alta proficere, & per mundas & humiles orationes suaviter redolere perspicit. His quippe virtutibus sancta Ecclesia, vel unaquaque anima mundæ efficitur: quia dum per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, & per sanctas orationes frequenter lacrymis abluitur, sordes lavat ut sponso placeat, cui pulchra appareat.

S. Greg. Tom. III.

A conatur. Cujus conatum ad effectum sponsus gratiam suam dicit, opusque suum in sponsa benignè laudat & dicit:

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. IX.

Cum scriptum sit: *Nemo vivit sine peccato, nec Iob. 15. infans cujus vita est unius diei super terram: quid est quid spona tota pulchra esse dicitur, in qua macula non habetur?* Alibi quippe scriptum est: *Stella Iob. 25. b non sunt mundo in conspectu ejus.* Et alibi: *In multis Jacob. 3. offendimus omnes.* Et Joannes Apostolus ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis Ibid. 1. Ioan. 1. non est.* Et idem: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, mentimur, & veritatem non facimus.* Sed dum sancta anima à peccatis quotidianis se per penitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, & à majoribus se observat, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen penitentiam munditiam suam assidue servat. Hinc enim alibi præcipitur: *Semper sint vestimenta tua Eccl. 9. candida.* Et illud: *Iustus autem ex fide vivit.* Quamvis enim mox ut peccat, à justitia deviet; tamen dum semper credit in eum qui justificat impium, & assidue sub ejus fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones justitiam suam retinet. Scilicet igitur ita mundanti sponsæ consequenter dicitur:

Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. X.

Libanus quippe dealbatio interpretatur. Quid ergo per Libanum nisi Baptisma intelligitur, in quo sancta Ecclesia aqua abluitur, & à peccatorum nigrine per Spiritum sanctum quem recipit, & per Christi fidem dealbatur? Unde scriptum est: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor.* De Libano ergo sancta Ecclesia ad coronam venit, quia in Christi baptismo fidem percipit, sub qua cum Christi gratia meretur, ut præmium recipere possit. Sed quid est quid ter dicitur, [*Veni.*] nisi quia in fide & in spe & in charitate quidquid operatur, subficit: ut his tribus munita virtutibus robur habeat, per quod in via non lassescat? De fide enim dicitur: *Fide At. 15. b de mundans corda eorum.* Et iterum: *Sine fide impossib. Heb. 11. b est placere Deo.* De spe autem dicitur: *Non confundentur omnes qui sperant in te Domine.* Cui iterum dicitur: *Quis enim in te speravit, & derelictus Ibid. est?* De charitate autem dicitur: *Charitas operis multitudinem peccatorum.* Et iterum: *Si distribuero 1. Cor. 13. omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et Joannes Apostolus: *Deus caritas est.* Potest tamen & aliter intelligi quod ter dicitur, [*Veni.*] Venit enim sponsa sancta ad Christum, dum in hoc mundo vivens, bona que potest operatur. Venit quando in hora mortis anima, ipsa videlicet sponsa, à carne exiuit. Venit tertio quando in die iudicij ultimi carnem resumit, & cum Christo thalamum celestem ingreditur. Ibi quippe omnium laborum suorum præmia consequitur: ibi iam omnino prostratis & exclusis hostibus, gloriösè coronatur. Ideo & hīc promissionem sequitur: [*Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*] Quid per Amanam, Sanir, & Hermon, nomina videlicet montium, nisi potentes hujus saeculi intelliguntur? Qui quantò ditiones, tanto excelsiores & firmiores apud infirmos esse videntur. Sed de his montibus sancta Ecclesia coronatur; quia dum regnum prædicat æternum, dum exemplo suo omnia quæ mundi sunt, vilia esse demonstrat, ipsos

H h

^{15a:40.} etiam potentes ad penitentiam inclinat, & tibi ipsi A pro eorum acquisitione coronam in cœlestibus parat. Sic quippe fit ut humiles superbos prosternant, & infimi excelsos inclinent. Ideo scriptum est: *Omnis vallis impletitur, & omnis mons & collis humiliatur.* Sed quid est quod non solum de montibus, sed etiam de capitibus montium coronanda esset dicitur, nisi quod impletum videmus, quia jam ipse excelsores personæ in Christum credunt, & ejus præceptis per Ecclesiæ prædicationem obediunt? Reges enim & Imperatores Christo serviunt, coronas deponunt, & per penitentiam in Ecclesiæ veniam pertunt. Si itaque per capita montium summas personas intelligimus, bene per cubilia leonum, & montes pardorum, principes quicunque & ministri designantur, qui crudelitati inserviunt, & dolositatibus suis, quos vi non possunt lèdere, decipiunt. Pardi quippe maculas in cute semper portant. Per quos qui alij quam hypocrita, vel discordes significantur? In illis quippe qui crudelitatem sectantur, demones tamquam leones cubant. In illis vero quasi pardi montes adificant, quos dum vitiis suis aliquas virtutes admiscere consentiunt, pro omnibus bonis suis laudis gloriam affectare compellunt. Hi itaque verò pardorum varietatem imitantur; quia dum cum virtutibus etiam virtus sectantur, quasi in vario corio coloris dissimilitudine dividuntur. Sed de cubilibus leonum, & de montibus pardorum Ecclesiæ coronatur; quia dum per ejus prædicationem & crudelies ad pietatem, & hypocritas ad vita humilis unitatem convertuntur, pro his omnibus premium percipiet quod meretur. Cui iterum dicitur:

XI. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.*

^{Sup. cod.} ^{C. in pr.} Per oculos sponsa, sanctæ Ecclesiæ prædicatores, sicut dictum est, designantur. Per crines vero, populi multitudo figuratur. Per collum autem, sancti capitii & corporis conjunctio demonstratur, qua fides Ecclesiæ intelligitur. Per hanc enim caput & corpus conjungitur, dum Christo quicunque tenacius inheret, quod fideli in bona conversatione habetur. In uno ergo oculorum & in uno crine sponsa sponsus vulneratur; quia profecto usque ad mortem crucis afficitur, ut unitas prædicatorum & plebis in Ecclesiæ confirmetur. De ejus dilectione erga sponsam iterum subdit sponsus:

XII. *Quam pulchra sunt mammae tuae soror mea sponsa?*

^{Sup. c. I.} ^{in pr.} Quid per mammas convenientius in hoc loco, quam ipsa dilectio Dei & proximi, de qua superius diximus, intelligitur? Per quas mens sancta omnes sensus suos suavi dilectione nutrit, dum Deo suo charitatis tenacitate conglutinatur, & proximis si quid utilitatis habet, quomodolibet libenter impedit. Has mammas sponsa quantum sponsus diligit, in repetitione laudis aperte manifestat, dicens:

XIII. *Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

Quod superius de sponsi uberibus diximus, hoc & hic cum de sponsa loquitur, intelligi posse cœstimamus. [*Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*] Per unguenta quippe ipsa virtutes quæ ex charitate oriuntur, intelliguntur. Habent quippe etiam reprobri aliquando aromata quibus redolent; quia virtutes quasdam possident, & bona

opera perpetrant; sed quia sine charitate vivunt, in conspectu Dei nulla quæ faciunt placent. Unde in judicio cum dicent: *Domine in nomine tuo propheta vimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus;* respondebitur eis: *Nunquam novi vos, discendite à me omnes operari iniquitatis.* Bene ergo unguenta Ecclesiæ super omnia aromata redolere dicuntur: quia eis opera reproborum aliquando hominibus placent, haec quæ sancta Ecclesiæ ex charitate confici, in divinis naribus sine cessatione redolent. Sequitur:

*Favus distillans labia tua sponsa: mel et lac XIV.
sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

B Prædicatores Ecclesiæ bene labia sponsæ dicuntur; quia per eos populus loquitur, & per eos ad fidem parvuli quicunque eriduntur, dum per eos occultæ scripturae quasi cordis latentia manifestantur. In favo autem mel latet, & cera videtur. Rectè ergo labia sponsæ favus vocantur; quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur. Quando vero electus quisque prædicat, quando caelestia gaudia nescientibus revelat, tunc favus distillat: quia quanta dulcedo sapientiae in corde lateat, per oris fragilitatem audiētibus manifestat. Unde scriptum est: *Habemus t. Cor. 4. thesaurum istum in vasib. scilicet.* Ideo subditur: [*Mel & lac sub lingua tua.*] Nimur falsi prædicatores mel in lingua portant, quod sub lingua non habent: quia caelestia gaudia aliquando prædicant tamquam veri sint, cum ipsi terrestria bona totis desideriis appetant. Sancta vero mens mel in lingua pretendit; quia sapientia dulcedinem loquendo ostendit, quam veraciter prædicans, audiētibus tamquam mellis dulcedine reficit. Lac gerit, quia congruenti sibi doctrina parvulos quesque in Ecclesiæ nutrit. Sub lingua autem hæc omnia sibi ipsi reservat; quia internam dulcedinem assiduè secum portat. Dum enim terrena abicit, dum virtutum amaritudinem respuit, in interioribus sensibus sapientiae dulcedine se pascit, qua robur colligit, ut ad æternam dignitatem, in labore via lassificere non possit. Cui bene dicitur: [*Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*] Quid per vestimenta hæc, nisi sancta opera designantur, quibus præcedentium malorum turpitudi operit, ne videatur? Hinc enim scriptum est: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet,* & videatur turpitude ejus. Thus vero per significationem pro oratione ponitur, sicut scriptum est: *Ascendat oratio mea si cut incensum in conspectu tuo.* Sancta itaque anima in hoc mundo quanta potest bona opera operatur, & bene operans desiderio & intentione sancta ad æternam se extendet; nihilque boni agit, nisi ea intentione, ut ad caelestia quæ diligit, quandoque pervenire possit. Bene igitur odor vestimentorum ejus sicut thuris esse perhibetur: quia in omnibus operibus suis orat, dum perveniendi intentione, ea quæ potest bona operatur. Sequitur:

*Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus XV.
conclusus, fons signatus.*

Hortus sanctæ Ecclesiæ existit; quia dum populus multis in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus conclusus bene esse dicitur; quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobis aliquis ingrediatur. Unaquæque anima sancta etiam hortus conclusus esse intelligitur: quia dum virtutes nutrit, flores gignit; & dum virtutum exhilaratione serenitatem, fructus quos generat, eadem custodit. Conclusus enim hortus esse dicitur; quia dum bona sua

intentione vita eternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumperet posset. Fons etiam dicitur; quia dum celestia assiduè cogitat, dum scientiam scripturarum semper in ventrem memorie congregat, quasi aquas viventes sancta mens in se gignere non cessat, quas sicutibus proximis preberet ut reficiantur ^{Ioan. 4. b} valeat. Unde scriptum est dicente Domino: *Qui berit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aqua sa- lientis in vitam aeternam.* Et alibi: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura flumina aqua viva fluunt de venire ejus.* Sed cur dicitur fons ille signatus, nisi quia sensus spiritualis mentibus indignis absconditur? In ^{Ioan. 3. b} fideli enim homini a Domino dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde venias, aut quò vadat.* Et iterum scriptum est: *Signa- tum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quod enim ibi lumen signatum, hoc hic procul dubio fons signatus esse perhibetur. Sanctus enim Spiritus men- tem quam replet, & illuminans irrorat, & irrorans illuminat: ut & de luce ejus videat quid appetat, & de rore ejus se refrigeret, ne laessecat. Sequitur:

XVI. Emissiones tuae paradisus malorum punico- rum cum pomorum fructibus.

Quid emititt sancta Ecclesia, nisi cum sanctis operibus sancta verba, quibus filios gignit & nutrit? Quorum dum alios usque ad martyrium per- ducit, alios in sancta conversatione erudit; hos sanguine martyrij rubentes ad aeternam patriam trans- mitit, illos verò in sanctis operibus viventes, proximis in exemplum sanctitatis tradit, quid aliud quām mala punica & pomorum fructus emitit? Ma- la enim punica sub rubeo cortice multitudinem gran- norum continent; fructus verò pomorum in se re- fectionis dulcedinem habent. Sic sic Martyres dum sub igne tribulationis laborant, dum pro Christo sanguinem exteriori fundere non dubitant, multitudinem virtutum interiori sibi congregant in mente. Sancti etiam quique qui in pace Ecclesiae vivunt, fructus pomorum gerunt: quia dum sancta opera faciunt, proximis exempla tribuant, quorum exhibitione se qui volunt reficiunt. Quotquot enim sunt in Ecclesia sancti, sive igne passionis ardeant, D five in pace Ecclesiae quiescentes succrescant, san-ctarum virtutum odorem tamquam paradisum suavitatis & deliciarum construere in se dum vivunt, non cessant. Cujus paradisi ubertatem Scriptura demon- strat, dum sub voce sponsi per arbustorum no- mina qualque virtutes designat, dicens:

XVII. Cyperi cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum univeris lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis.

Quid enim per has diversas aromatum species de- signatur, nisi sanctarum virtutum odor & profectus, qui sanctis habetur? Ex his quippe speciebus rega- lia unguenta conficiunt, ex his corporum sanitates inveniuntur. Bene igitur virtutes animarum de- signant, quibus congregatis & confectis, & bonus odor opinionis egreditur, & egris animabus com- petens sanitas reparatur. Sed adhuc laus Ecclesia à sponso repetitur, cùm subditur:

XVIII Fons hortorum, puteus aquarum viventium, que fluunt impetu de Libano.

Rectè in emissionibus Ecclesiae, fons hortorum & puteus aquarum viventium describitur. Quid enim per fontem & puteum, nisi sancta scriptura designa- ^{S. Greg. Tom. III.}

A tur? quia sic aquam sapientiae generat, ut & potan- tes semper reficiat, & tamen manare non desistat. Que bene hortorum esse perhibetur; quia illorum specialiter est sancta scriptura, in quorum mentibus virtutum semina oriuntur. Sed quarendum nobis est, quare fons & puteus utrumque simul Scriptura dicatur, cùm fons in superficie appareat, puteus ve- rò in imis latens, omnes se quarent majori labore exerceat. Sed sciendum est, quod divina scriptura in quibusdam manifesta existens, in quibusdam vero locis obfcuram se praebens, & aliquando leviter sicut invenitur, tamquam fons potatur, & aliquando magna inquisitione eget tamquam puteus, ut inventa sumatur. Quod vero sancta scriptura intellectus per aquam designatur, ostenditur alibi cùm di- vina voce de reprobis dicitur: *Mittam eis siuim Amos 8. aqua, & famem panis.* Et per Isaiam dicitur: *Anfe- res Dominus ab Hierusalem & Iuda omne robur pa- nis, & omne robur aqua.* Ubi notandum, quod ro- bur panis prius, & postea robur aqua auferunt. Dum enim gravia dicta Scriptura non perquiruntur ut mandantur, paulatim a scientia decidit mens, ut aliquando levia etiam intellectu non capiantur. Sed aquae istae bene de Libano fluere cum impetu dicun- tur: Libanus enim, ut dictum est, dealbatio inter- pretatur. In Baptismo quippe dealbamur, dum amissa nigredine peccatorum ad munditiam novae vi- ta reformamur. De Libano ergo aquae putri fluunt; quia in Baptismo electi quique donum Spiritus sancti accipiunt, quo illuminati scriptura sacra sensum intelligent. Quia scriptura sanctæ scientia tanto fluit impetu, ut electos dum tangit, ab hujus vita amore submoveat, & ad aeterna gaudia vi impetus sui quoque adherentes trahiat. Hinc est enim quod in Psalmo scriptum est: *Fluminis impetus terificat civitatem Dei.* Impetus enim fluminis civitatem Dei terificat, cùm per donum sancti Spiritus fortiter inundans Scripturam sapientiam sanctam Ecclesiam, vel cuiuslibet capientis mentem, infusione sua exhilarat. Ad cuius Spiritus adventum malignus spiritus in- crepat, cùm hic in subsequentibus dicitur:

Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum XIX. meum, & fluent aromata illius.

Quid enim per Aquilonem qui in frigore constringit, & torpentes facit, nisi immundus spiritus desi- gnatur, qui reprobos omnes dum possidet, a bono ^{L. b. 27. Mor. c.} opere torpere facit? Per Austrum vero, calidum ^{23. & l. 1. m. Ez. hom. 2.} scilicet ventum, Spiritus sanctus figuratur: qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, & ferventes facit, ut bona qua desiderant operentur. Hinc enim dicitur: *Converte Domine captivitatem ps. 113. nostram, sicut torrens in Austro.* Surgat ergo Aquilo, & veniat Auster, & perflet hortum Iponsi, & fluent aromata illius; ut videlicet spiritus malignus ab Ecclesia vel ab unaquaque electa anima discedat, & Spiritus sanctus adveniat. Qui veniens charitatis ignem cognitionibus infundat, & a torpore negligientia dum se infuderit, solvat. Quod dum agit, aromata fluunt; quia dum adveniente sancto Spiritu, cot quod prius torpuerat, ad opera se excitat, mox sanctæ operationis opiniones per proximos quoque suaviter discurrunt, ut quique audiunt ad eadem se accendant, & Austro flante, id est, Spi- ritu sancto se infundentes virtutum odores emittant, ut ubique sanctus hortus floreat, & post florem fructus redolentes & reficientes producat. In quem hortum sponsa dilectum invitat, cùm subdit,

C A P U T V.

Veniat dilectus meus in hortum suum, ^{I.}
& comedat fructum pomorum suo-
rum.

Hh ij

IN hortum dilectus venit & fructum comedit, quando Christus mentes visitat, & bonorum operum delectatione se satiat. Unde & idem subiectis dicit:

- II. *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Myrrham dilectus cum aromatibus metit, quando Christus mortificatione vita ad perfectionem perducta, electum suum ab hac vita succidens, ad caeleste horreum cum sancta opinione inducit. Favum cum melle comedit, quando desiderium sanctum in sanctis operibus latens perficit, & ad sanctorum convivium sanctam animam sua delectatione impinguandam transigit. Vinum vero suum cum lacte bibit, quando & perfectione quorundam se reficit, & innocentiam aliorum cum pietate diligens, utrosque ad eternum convivium ingerit. Ad quorum exemplum quoque remanentes invitat, cum subjugit:

- III. *Comedite amici mei, bibite & inebriamini charissimi.*

Notandum in primis est, quia qui comedunt, amici; qui vero bibunt & inebriantur, charissimi esse pechibentur. In quibus verbis intelligi datur, quia in hoc loco comedere bonum est; sed bibere & inebriari amplius bonum est. Sunt nimis quidam in sancta Ecclesia, qui sic praecepta divina audiunt, ut caelestia plus quam terrena amare discant, pro eorum desiderio multa pauperibus tribuant, a pravis operibus se custodiant, nulla alicui violenter rapiant, Ecclesiae prædicationem liberenter audiant, in fide se instruant, quam & operibus sanctis exerceant; & tamen uxores habent, pignora nutriunt, resuas diligunt, quamvis his omnibus Christum preponant. Hi profectò comedunt, & amici sunt; quia sanctam scripturam audientes, talem sibi refractionem assument; ut eis ad summam perfectionem adhuc non assurgent, tamen secundum modum suum perfecti, in præceptis divinis sine crimenie vivunt. Quod dum beati Joannis parentes, Zacharias videlicet & Elizabeth, conservare studuerunt, per revelationem angelicam in senectute sua filium accipere meruerunt, quo major inter natos mulierum non surrexit, & ipsum Salvatorem mundi digitò ostendere & baptizare meruit. De cuius parentibus dicitur: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Sunt vero alij qui tanta aviditate divinam scripturam audiunt vel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis sola caelestia ambient, parentes, uxores, domos, filios etiam & omnia transitoria abjiciant; solummodo Christum sequi & amplecti concupiscant. Ejus desiderio se affligunt jejuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus divinis, sola qua sunt eterna cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes, ut ea quæ retro sunt obliviscentes, in anteriora magis ac magis se extendant. Quid profectò isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur: ut dum omnium terrenorum per desiderium obliviscentur, jure a sponso caelesti non tantum amici, sed & charissimi vocari mereantur? De quibus idem sponsus sequitur & dicit:

- IV. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Hujusmodi quippe electi cor sponsi bene vocari possunt, qui quod amplius exteriora quæ sunt in mundo, fugiunt, & secesserunt ea quæ sunt interiora sponsi cognoscunt. De quibus procil dubio idem sponsus

alibi dicit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: v. 14.* *Ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Dormit ergo sponsus, & cor ejus vigilat: quia dum Christus iam glorificatus, in beatitudine quiescit, quicumque eum perfectè diligit, ut ad ipsum perveniat laborat. De qua vigilantia sponsa superius dixit: *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Quod enim illud quiescere dormire dicatur, id manifestat quod alibi legitur: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Quod tamen ipsum & ipsa sponsa de se dicere potest. Dicat ergo: *[Ego dormio, & cor meum vigilat.]* Ac si aperte mens sancta loqueretur, dicens: Dum à mundanis tumultibus exterioris dormio, interiori cogitatione quæ sunt caelestia vigilans penso. Sancti etenim viri dum terrena omnia despiciunt, dum tumultus mundi omnino fugiunt, dum otium in via Dei afflunt, nequaquam ut corpori vident, ea dimittunt: sed interiori laborantes, quæ sunt illa ad quæ facti sunt, in corde aspicer contendunt. Neque enim ut torpeant dormiunt, sed ut liberius eterna contemplantur, à transitoris rebus quietescunt. Quos tamen aliquando sponsus ad profectum proximorum excitat: & ut eis cum quibus vivunt proficiant, ab orio quod diligunt, revocat. Cujus vocem audiens, etiam cum dormit, sponsa dicit:

Vox dilecti mei pulsantis.

Quid enim pulsans dicat, subiungit:

Aperi mihi sponsa mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.

Causam etiam clamoris annexit, dicens:

Quia caput meum plenum est rore, & cincnii mei guttis noctium.

Dum sponsa dormit, dilectus ut aperiat ei pulsat: quia dum sancta mens sibi ipsi per otium intendit, Christus multa peccatorum opera in hoc mundo tolerat: quæ nisi spiritales viri ad doctrinam se accingant, numquam per seipso carnales vel agnoscent, vel corrigerem curant. Vult ergo sponsus ut aliquando otium dimittatur, & ad edificationem proximorum spiritales quique sollicitent: quia dum perfecti viri sibi soli per interiori quietem intendunt, dolet sponsus quod sacerdotes ad peiora magis ac magis corruunt, dum eum propter silentium spirituum semper minus ac minus cognoscunt: quod ipse manifestat cum dicit: *[Quia caput meum plenum est rore, & cincnii mei guttis noctium.]* Quid per caput sponsi, nisi Deus; & quid per rorem in hoc loco, ubilamentando dicitur, nisi frigus membrorum carnalium accipitur? Scriptum est enim: *Caput Christi Dens.* Et de frigore cuiuslibet carnalis mentis iterum scriptum est: *Sicut frigidam facit ciberna aquam, sic frigidam fecit malitiam suam.* Caput ergo Christi plenum est rore; quia multi in Ecclesia positi & Deum eum credunt, & tamen frigi persistentes, ad ardorem charitatis non accendentur. Per cincinnos autem ejusdem, populos intelligimus, quos in fide divinitatis, quæ in capite Christi pendentes & opprimentes scimus. Sed cincinni pleni esse dicuntur guttis noctium; quia dum in torpe hujus tenebrosa temporalitatibus se suspendunt, magis ac magis stillationibus iniuratum fluant. Ad hos accendentios sponsa excitat, dum spiritalis quilibet pro edificatione plurimorum, ab orio ad prelationem Ecclesie vocatur. Sed quoniam metuit ne si ad prelationem venerit, sollicitudinibus mundi occupari necesse sit: sicque dum per occasiōnem edificationis plurimorum, temporalibus se inclinaverit, quietem amittat, eamque sordibus peccatorum inficiat, ideo clamanti sponsi responderet, dicens:

VI. *Expoliavi me tunica mea, quomodo iterum A
induar illa? Lavi pedes meos, quomodo
inquinabo illos?*

Tunicâ suâ sponsa se expoliavit, quia omnia exteriâ, quibus honorabatur & onerabatur, abjecta. *Eut. 22.* De qua tunica dicitur: *Nunc autem qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium. Gladium quippe venditâ tunicâ emit, qui pro aeternis temporalia abdicat: & in sanctâ conversatione vivens, verbum prædicationis acquirit. De quo dicitur: Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Pedes autem fuos sponsa lavit; quia dum in sancto otio sancta anima vi vit, opera sua studiosè ad memoriam reducit: & quidquid in eis sordidum examinando deprehendit, lacrymis quotidianis & gemitibus plangit. Pedes itaque lavit, quia præterita opera, quibus per hunc mundum dissolutè ambulaverat, planxit. Pedes lavit, quia peccata abluiens lacrymis, munda in conspectu dilecti sui apparere concepivit. Hos pedes iterum inquinare metuit; quia valde sollicita est, ne si in prælatione ponatur, per terrena ambulans, iterum suscipiat quod dimisit. Idecirco ab otio invita recedit; quia dum à marinis fluctibus aliena est, quasi in littore posita securius vivit. Sed dilectus non leviter mortem proximorum tolerat, Ideoque proprius accedens, per seipsum eam excita non dubitat, ubi dicitur:

VII. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum illius.* C

Manum dilectus ad sponsam mittit per foramen ut surgat, quando per subtilem intellectum quanta sit operationis divine virtus, ei inspirando manifestat: quod videlicet & inter pericula salvare possit; quod etiam in pace nisi per eum salvus sit nemo; quod in tumultu certaminis sperantes in eum non derelinquit. Ad cuius tactum venter sponsæ intremisit: quia sancta anima quod amplius divinam potentiam per interiorum visitationem præsentialiter sentit, eò districtius judicat quidquid in se carnale deprehendit. Quod enim majori charitate in eum ardet, quem mente concupiscit, eo timidius se ei subjicit, & amplius veretur ne sponsus in ea aliquid inveniat, propter quod eam à se dimittere velit. Idcirco sponsa obediens ad laborem se preparat; ut futurum in quiete familiaris sponso, sic & in labore devotè serviens appareat. Ideo subdit, dicens:

VIII. *Surrexi ut aperirem dilecto meo.*

Tacta surgit ut aperiat: quia dum spiritum dilectionis amplius solito accipit, mox de ædificatione proximi cogitat, & prædicando agit; ut apertis cordibus sponsus ad inhabitandos proximos veniens aditum intrandi inveniat. Quæ etiam cum prædicatione exempla operum auditoribus demonstrat, dicens:

IX. *Manus mea stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.*

Quid per manus, nisi operations: quid per myrrham, nisi mortificatio carnis accipitur? Manus ergo sponsæ, prædicationis myrrham stillant; quia quicumque alii prædican, necesse est si multis proficeret velint, ut in omni opere suo carnalem vitam mortificare contendant. Sed ut hoc cum magna discretione fiat, manifestat cùm subjungit, dicens: [*Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.*] *Sup. cap. 3. m. 2. c. 4. pre- p. med.* Sicut enim ab una manu plures digiti dividuntur: sic in una sanctâ conversatione per discretionem diversæ virtutes inveniuntur. Alia enim est virtus largitatis, alia virtus parcitatis. Aliud opus humilitatis,

aliud liberæ increpationis. Aliud verò agimus quando nos sub silentio continemus propter ædificationem propriam; aliud quando proximis loquimur propter utilitatem suam. Sed digiti myrrâ probatissimâ pleni esse perhibentur; quia in omni quod agitur, semper necesse est ut mortificatio carnalitatis teneatur. Quæ tunc probatissima esse jure dicitur, quando in omni suggestione qua ab hoste ingeneritur, sine cessatione voluptas carnalis cavetur ne suscipiatur. Quod quando fit, omnis duritia mentis dissolvitur, & ut sponsus intret ad cor, aditus preparatur. Hinc est quod sequitur:

Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat atque transierat.

X.

Pessulum ostio facimus, quando per voluptates carnis, aditum cordis contra sponsum obseramus. Pessulum verò aperimus, quando remotis voluptibus fluxis, cor nostrum in amorem Christi, quod prius durum fuerit, solvimus, & sponso pulsanti ad ostium introitum liberum facimus. Quod dum in hac carne vivimus, quia repente fieri non potest, restat ut magis ac magis quotidie faciamus. Nemo enim, sicut scriptum est, repente fit summus. Ali quando enim dum in hac corruptione positi Dominum nostrum querimus, magis nobis elongari quam appropiare viderur. Ideoque sequitur: [*At ille declinaverat, atque transierat.*] Modò sponsus dilectam tangit, modo declinat: quia quando nos tormenta conspicit, ad amorem incitat: quando verò laborantibus nobis posse apprehendi videntur, tunc ne apprehendatur transit & declinat. Quod maximum nobis ejus gratia agitur, ut videlicet nec in torpore nostro jacentes, omnino eum amittamus, nec de plena ejus, ut nobis viderur, apprehensione superbiamus. Qui mox tamen ut recesserit, redit: & ne diutius anima sancta à dilecto suo alienetur, verbo inspirationis suæ desideranti animæ se infundit, & infundens liquefacit. Unde exultat sponsa, dicens:

Animam meam liquefacta est, ut dilectus locutus est.

XI.

Ad verbum sponsi liquefactam se dicit, quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissolvit: & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc quod se capere intra se exultat: & intus miretur quid fuerit, & quid factam subito seipsum videat. Quem liquorem dum sentit, perfectius apprehendere concupiscit: & aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modò sentiebat, jam non sentit. Unde sollicitatur ad querendum, ut hoc idem inveniat: sed aliquando cum etiam diu fatigetur, non invenit, quod modò tam præsens tenet. Ideo sequitur:

Quæsivi, et non inveni illum: vocavi, et non respondit mihi.

XII.

Quærit sponsa dilectum, sed non invenit; quia à Deo inspirata mens assidue suavitate illa intima perfrui concupiscit, sed corruptio prohibet, quam in hac vita gerit. Vocat ergo & non respondetur ei: quia & orationibus & operationibus suis dulcedine illius præsentia satiar appetit, sed ad votum suum hoc quod invocat, non occurrit. Restat ergo u in se revertens se cognoscat, & per scripturas sanctas dilectum suum magis illo gustu adjuta perquirat. Et hoc est quod sequitur:

Invenerunt me custodes, qui custodiunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt.

XIII.

Hh iij

*me : tulerunt pallium meum mīhi custodes A
mūrorum.*

Dum inquisitione dilecti sponsa sollicitatur, in custodes civitatis incidit: quia dum sancta mens desiderio sponsi sui Christi se affligit, praedicatorum verba in scripturis divinis suscipit, & eis quamdiu a Christo exultat, ejusdem quem queret amore intendit. In quibus quid exercitatione inveniat, subiungit: [Percurserunt me, & vulneraverunt me: iuterunt pallium meū mīhi custodes mūrorum.] Custodes percutiunt sponsam & vulnerant; quia praedicatorum sancti dum cœlestis loquuntur, amantem animam afficiunt, & majori amore sagitant. Pallium tollunt; quia si quid pompa secularis residuum erat in corde, exhortationibus suis ab anima auferunt. Pallium tollunt; quia aliquando ante verba praedicatorum nos non cognoscamus, ipsique omne quod interius latebat dum loquuntur, detegunt. Quod dum sit, amplius diligendi sunt: & ut pro nobis dilecto loquantur, devotius exorandi. *Quod agit sponsa dum subiungit:*

XIV. *Adjuro vos filia Hierusalem, si inveneritis
dilectum meum, ut nunciet ei quia amo
re languo.*

Dum enim sancti viri cogitationes nostras referamus, dum eis sive viventibus nobiscum, sive jam vitam æternam ingressis desiderium nostrum expandimus, & per Deum oramus, ut Domino Christo pro nobis orando offerant desiderium quo afficimus, quid aliud agimus, quam filias Hierusalem adjuramus, ut dilecto, cui nobis proximiores sunt, nunciemus quia amore languemus? Sed & ipsi sancti, si adhuc nobiscum sunt, & oratores suos orant, & qui ut nuncient, orantur, pra humilitate tamquam ignari interrogant, dicentes:

XV. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcher
rima mulierum?*

Sed quia quod ardentius diligunt, ed dulcius verba de eo repetunt, idem ipsum iterum dicunt:

*Qualis est dilectus tuus ex dilecto: quia sic
adjurasti nos?*

Dilectus ex dilecto sponsus dicitur: ut videlicet per repetitionem dilectionis, maximus amor loquentis ostendatur. Vel dilectus ex dilecto bene Christus vocatur; quia si Filium diligimus, & Patrem ex quo est, consequenter amamus. Respondet sponsa subseqiendo, dicens:

XVI. *Dilectus meus candidus est & rubicundus,
electus ex millibus.*

Candidus & rubicundus Christus esse perhibetur, quia nullum omnino peccatum faciens, justitia pulchritudinem ex integro tenuit, & tamen tamquam peccator esset, ad mortis passionem accessit. Cui per Prophetam dicitur: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* Electus vero est ex millibus, quia ex totius generis humani massa, nullus sine peccato repertus: ipse vero non solum sine peccato fuit, sed etiam peccatores sua justitia & sanguine redemit. Sequitur:

XVII. *Caput ejus aurum optimum: coma ejus sicut
elata palmarum, nigra sicut corvus.*

^{1 Cor. II.} ^b Caput Christi Deus. Quod caput bene aurum dicitur; quia ad comparationem creatoris omnis creatura res vilissima perpendit. [Coma ejus sicut elata palmarum, nigra sicut corvus.] Quid per co-

mas Christi, nisi fideles quosque intelligimus? Qui dum a fidem Trinitatis in mente custodiunt, & Deo adhaerentes, quod credunt faciunt, quasi in capite penderentes honorem portanti conferunt. Palma autem in altum valde crescendo proficit, & victoriæ significatione sua prætendit. Comæ ergo sicut elata palmarum sunt: quia electi quique dum semper ad alta virtutum se efforunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriæ se perducunt. Nigra autem sicut corvus existunt: quia quamvis virtutibus in cælum se erigant, semper tamen peccatores se esse cognoscunt. Sequitur:

Oculi ejus sicut columba super rivulos aquarum, qua lacte sunt lota, & resident juxta fluenta plenisima. XVII

Oculi sponsæ sicut columba sunt; quia praedicatorum Christi qui viam nobis ostendunt, in simplicitate vivunt. Super rivulos autem aquarum esse perhibentur: quia semper in refectio divinorum scripturarum conversantur. Lacte vero sunt lota: quia gratia creatricis sapientie tamquam lacte matris a peccatis per Baptismum sunt mundata. Quid autem per fluenta plenisima, juxta quæ resident, intelligimus, nisi lacra scripturarum profunda & arcana dicta, quæ discerpimus, quibus nos reficimus, dum ea legendo vel audiendo haurimus? Ad hoc etiam columba juxta fluenta residere solent, ut volantum avium umbram in qua videant, super quam se projicientes, unguis rapacium sic effugiant. Sic sancti viri in scriptura sancta fraudes dæmonum prospiciunt, & ex descriptione quam vident, quasi ex umbra hostem cognoscunt. Dumque se consiliis scriptura ex toto addicunt, ut videlicet nihil agant nisi quod ex responso scripturarum audiint, quasi in aquam se projicientes, hosti illudent. Quæ fluenta plenisima dicuntur: quia de quibuscumque scrupulis in scripturis consilium queritur, sine minoratione de omnibus ad plenum invenitur.

Genæ illius sicut areola aromatum, confusa à pigmentariis. XIX

Si per oculos, praedicatorum intelliguntur, bene per genas ipsi in Ecclesia figurantur, qui martyrio vita finis perhibentur. Dum enim pro fide Christi sanguinem suum fundere non dubitant, quasi genæ in facie sponsi rubent. Per eos quippe pulchritudo fidei Christianæ publicatur: quia ad quantum fidei premium tendant, ostendunt, dum pro ea moriuntur. Quæ genæ bene sicut areola aromatum esse dicuntur: quia dum in constantia fidei, martyrio electi exercentur, per cultum virtutum sanctæ opinionis famâ, quasi odore aromatum dilatantur. Sed areole à pigmentariis confunduntur; quia Martyres sancti & à praecedentibus praedicatoribus ad confessionem roborantur, & à subsequentibus ad imitationis exemplum populis adducuntur. Ab illis qui præcesserunt, pigmenta virtutum coluntur: ab his vero qui sequuntur, pigmenta exemplorum sumuntur. E Unde & sequitur:

Labia ejus lilia flellantia myrrham primam. XX

Quid enim per labia sponsi, nisi ipsos quos dici mus praedicatorum Christi, intelligimus? Qui dum mortes Martyrum populus prædicant, quasi myrrham mortificandis carnibus ad condimentum diffundant. Quæ myrrha bene prima esse dicitur: quia nullus sic mortificatur, quo modo ille qui pro Christo martyrio finitur. Primam enim dixit non pro tempore, sed pro dignitate. Quid est quodd labia sponsi lilia esse dicuntur, nisi quod illi per quos Christus loquitur, necesse est ut mundi sint, & per eos bonus odor aspergatur? De quibus erat Apostolus

493 in Cantica Canticorum, Cap. V. 494

Paulus, qui dicebat: *Bonus odor sumus Deo in omni loco, & in his qui pereunt, & in his qui salvi sunt.* Sed notandum est, quoniam quidquid in Ecclesia justitiae & fortitudinis habetur, ab ipso Christo per exempla operum illius trahitur. Ideo sequitur:

XXI. Manus illius tornatiles, aurea, plena hyacinthis.

Quid enim per manus Christi designatur, nisi opera sancta que in mundo gessit, & que nobis imitanda proponuntur? Ipse enim ait: *Qui me diligit, me sequatur.* Et Apostolus: *Qui dicit se in Christo manere, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare debet.* Manus vero tornatiles esse perhibetur: quia sancta opera ejus sine impositione iniquitatis ex omni parte in justitia gradiebantur. Quod enim tornatur, in rotunditate sui sine obstaculo volvitur. Sic Christi opera in rectitudine rotunditate voluebantur: quia nulla culpa ei adhaeret: quia minus justitia ejus in rotundum ducetur. Aurea etiam manus esse dicuntur: quia quidquid exterius inter homines operabatur, interior in divinitatis pulchritudine disponebatur. Quid vero per hyacinthum, qui valde pretiosus lapis est, nisi munus retributionis aeternae designatur? Manus ergo sponsi plena hyacinthis esse dicuntur: quia quicunque illius opera pio corde imitantur, felicitatis aeternae munieribus in retributione ditantur. Unde & idem Redemptor ait:

Ioan. 12. Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illuc & minister meus erit. Sequitur:

XXII. Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.

Quid per ventrem, nisi mortalitas? Et quid per ebur, nisi incorruptione designatur? Ebur quippe valde durabile os habetur, & in ornamenta Regum afferatur. Venter ergo Christi recte eburneus esse dicitur: quia mortalitas Christi ad immortalitatem perducitur, dum per resurrectionem ad gloriam Patris sui, Regis videlicet aeterni, in vita aeterna collatur. De quo dicitur: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Qui verè in ornamento Regum assumitur: quia quisquis carnis sua rex & dominus esset probatur, ipius Christi mortalitate & resurrectione, amore cognitionis & spe immortalitatis ornatur. Unde alibi dicitur: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Sed venter distinctus sapphiris esse perhibetur: quia in nostra corruptione quam portavit, celestia opera per miracula qua faciebat, passionibus nostris inseruit. Sappirus enim qui aereum colorem portat, bene celestia facta qua in miraculis ostendebantur, designat. Venter vero Christi sapphiris distinguitur: quia dum inter passiones carnis divina miracula operabatur, quasi incorruptione corruptio variabatur. Quia dispensatio Apostolis in fide erudit sunt, & ad passiones tolerandas robusti extiterunt. Ideo sequitur:

XXIII. Crura illius columna marmorea, que fundata sunt super bases aureas.

Per crura enim Apostolos intelligimus, per quos universum mundum circuivit, & fidem eis praedicantibus, populus audientibus sparsit. Quibus ipse in Evangelio ait: *Ite in orbem universum, & præcate Evangelium omnium creature.* Sed crura columnæ marmorea esse perhibentur: quia Ecclesiam inflexibiliter sustinent, dum contra omnes adversarios eorum prædicationibus & exemplis roborant. Super bases autem aureas columnæ fundatae sunt; quia a Prophetarum dictis, ut fortes persistenter, fidem integratam accepissent. Unde ipse primus Apostolorum ait: *Habemus firmorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tamquam lucerna ardenti in*

A caliginoso loco. Ideo enim aureæ dicuntur, quia lucis sapientia resplendescere sciuntur. Sequitur:

Species ejus ut Libani, electus ut cedri. XXIV.

Libanus quippe mons est in quo sublimes valde & odoriferæ arbores habentur. Interpretatur autem Libanus dealbatio sive candidatio. Et de Christo dicit Apostolus Paulus: *Ipse factus est nobis à Deo sapientia & sanctificatio & justitia.* Bene ergo species ejus ut Libani existit, quia per eum credentes dealbantur: cui si adhaeremus radicatus, sublimes efficiuntur. A cuius gratia etiam bona opinio odorem, si quem habemus, accipimus. Electus etiam ut cedri esse dicitur: quia de eo Pater loquitur: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Cedrus autem excellens est valde arbor, & odora & imputribilis. Christus autem excelsior cedris existit: quia quamvis homo sit, tamen Deus esse non desinit. De quo per Isaiam dicitur: *Et sublimis erit valde.* Odorus etiam super omnes est Christus, quia ipse ait: *Ego flor campi, & lily convallium.* Et per sponsam ei dicitur: *Curemus in odorem unguentorum tuorum.* De quo hinc bene sequitur:

Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis. XXV.

Per guttur quippe voces transferuntur, & sapore in ventrem hauriuntur. Quid ergo per guttur sponsi, nisi Testamentum Christi intelligitur, per quod Christus nobis loquitur, & in quo quam suavis sit Dominus, à fidibus gustatur? Totus ergo desiderabilis existit: quia per hoc quod de eo bona omnia anima sancta audit, magis ac magis semper cum videre concupiscit. Cujus tot bonis enarratis consequenter concludit sponsa, dicens:

Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Hierusalem. XXVI.

Sed enumeratis tot laudibus, ostensis tot munib[us], quis audiens non concupiscit, quis intendens non inardescit? Fidelis quippe anima quaque, quod dulciora & ampliora de Redemptore suo audit, eò ardentius inhiat, & manifestiora de eo cognoscere appetit, dicens:

Quod abiit dilectus tuus, & pulcherrima mulierum? Quod declinavit dilectus tuus, & queremus cum tecum? XXVII.

Cum enim proximus proximo de Christo loquitur, cum alter ab altero qualiter inveniatur sciscitur, quid aliud quammodo queri debeat persolutum? Quamvis hoc de synagoga intelligi valeat, ut aliquando conversa Ecclesiam interroget, cui protinus Ecclesia responderet:

C A P U T VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat. I.

Dilectus in hortum suum ad areolam aromatum descendit; quia Ecclesiam visitans, ad eos majori gratia venit, quos sanctis operibus & virtutum exemplis bona fama odorem ex se proximis emittere cognoscit. In hortis pascitur, cum multarum animarum virtutibus delectatur. Lilia colligit, quando perfectos quoque ab hac vita succidit. Sed quia sancta Ecclesia in filiis suis fide Christo ita conjungitur, spe suspenditur, charitate conglutinatur, ut nihil extra Christum diligat, & eum sibi

familiariter fide & amore inseparabilem teneat ideo A subjungit :

- II. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pasceatur inter lilia.*

Notandum quippe, quod synagoga per prædicationem Ecclesia ad fidem quandoque convertetur, ita ut se abnegans, Christum solum sequatur, & comedem desiderio diligit Christum, quo eum Ecclesia diligit, quem ceteris postpositis solum amat. Quam jam amicam factam, jam sponsam sibi conjunctam sponsus alloquitur, congratulans & dicens :

- III. *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Pulchra & amica, suavis & decora sicut Hierusalem, synagoga esse perhibetur : quia sancta quatuor Evangelia aliquando conversa sicut Ecclesia legebatur. Hierusalem quippe visio pacis interpretatur. Per quam bene sancta Ecclesia figuratur : quia dum in mundo semper pressuram patitur, viam fastidiens,

^{10an.16.} ^d confidens in eo qui discipulis suis dicebat : *In mundo quidem pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* Digne autem synagoga conversa, sicut Hierusalem pulchra & amica & suavis & decora dicitur ; quia dum sanctam Ecclesiam imitatur, quatuor Evangeliorum præcepta operatur, à quibus pulchritudinem morum accipit ut placeat, exercitium sanctæ operationis colligit ut in amicitia habeat, suavitatem mansuetudinis dicit ut permaneat, speciem decora conversationis ostendit ut per exemplum trahat. De qua consequenter dicitur : [*Terribilis ut castrorum acies ordinata.*] Notum expertis est, quod milites cum in procineto contra hostes vadunt, si strictè & concorditer gradiuuntur, ab hostibus contrà venientibus timentur : quia dum in eis aditum per scissuram non aspiciunt, qualiter eos penetrant, hæstantes non inveniunt. Illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati scipiosi semetiplos tuerint. Dum enim de scipiosi sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt, & ut occidentur appetiti, ipsi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non definit, necesse est ut pace charitatis constringatur, quod salva sit. Si enim pacem teneret, terribilis hostibus appareret. Si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace se itaque munit, unitate se vinciat, charitate se uniat : ut dum in seipsa per scissuram damnum non patitur, ducem suum semper exultans sine confusione sequatur. In pace quippe oculus mentis mundatur, ut in ipsam beatitudinis visionem intendatur. Quam nemo sicut est, in hac vita conspicit : quia impossibile est patriam tenere, dum in exilio unusquisque nostrum gemit. Ideo sanctæ animæ inardescenti, inhianti, propinquanti sponsus respondet, dicens :

- IV. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.*

Oculos ad sponsum tendimus, dum intuitum mentis ad videndam Christi beatitudinem aliquantulum aperimus. Sed oculos averttere præcipimus, ne videlicet aspicere eam sicuti est, quantumcumque videamus, arbitremur. Ipsi enim oculi eum avolare fecerunt : quia quod amplius videtur, eò magis invisibilis esse cognoscitur. Et à nobis avolat : quia quantulumcumque iectu mentis apprehensus, incomprehensibiliter super omnem conatum nostrum

se exaltatum esse manifestat. Oculi quippe mentis quasi hoc efficiunt ut avolat : quia per hoc tantillum quo videtur, valde longinquus & avolans à nobis, sicut dictum est, apparet. Sequitur :

Capilli tui sicut greges caprarum, qua appa- V.
ruerunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges ovium, que ascenderunt de lava-
cro: omnes gemellis fætibus, & sterilis non
est in eis.

Sicut cortex mali punici, sic genæ tuae, absque VI.
eo quod intrinsecus latet.

Hec omnia dicta de Ecclesia superius, ut potui-
mus, expofuimus : ideo nunc de synagoga eadem ^{Sup. 4} in prim.
replicare devitamus. Unum tamen quod non simili-
ter repetitur : quia ibi sicut fragmenta mali puni-
ci, hic autem sicut cortex mali punici dicitur. Quo
nihil aliud designari puto, nisi sanguinem Martyrum,
qui sub antichristo morientur : & unitatem fidei,
sub qua multi Judæorum strigentur. In cuius
constantia dum sanguinis effusionem patientur, fidei
tribulatione quasi corticis rubore decorabuntur.
Sequitur :

Sexaginta sunt reginae, & octoginta con- VII.
cubinae : & adolescentularum non est nu-
merus.

Quid per reginas, nisi sanctorum animæ desi-
gnantur, que dum corpora sua prudenter regunt, &
aliis præsunt, regnum libi æternum acquirunt? Sunt
enim nonnulli in sancta Ecclesia qui carnem suam
macerant, & propter Deum affligerunt, vitia vin-
cunt, dæmones velut tyrannos sibi subjiciunt, om-
nes motus suos ut ordinatè currant, sapienter re-
gunt, alii prædicant hoc quod ipsi faciunt, multos
a fauibus dæmonum gladio verbi pugnantibus ab-
strahunt. Quid hujusmodi animæ nisi reginae exi-
stunt, quæ dum Regem Christum sponsum suum
valde diligunt, amoris commixtione & libidinis
execratione, regios filios, id est, fideles populos gi-
gnunt? Quibus omnibus beatus Petrus Apostolus
^{1. Pet. 5.} dicebat: *Vos autem estis genus electum, regale sa-
cerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Sed
reginae sexaginta esse perhibentur. Denarius quippe
numerus per senarium multiplicatus in sexaginta
completur. Et quid per denarium, nisi decem præ-
cepta Legis: & quid per senarium, nisi labor hujus
vitæ signatur? Sex enim diëbus quod necessarium ^{Exod. 13.}
est operamur, & in septimo quiescere per legem ju-
bemur. Bene ergo sexaginta reginae esse dicuntur:
quia dum decem præcepta in hoc sæculo operantur,
seculum autem hoc sex diebus operatoris evolvi-
tur, in eis quasi per senarium numerum, denarius
numerus replicatur. Prædicant enim perfecti quique
decem præcepta Legis, in quorum operatione se
exercunt in temporalitate hujus corruptionis. Sex
igitur decies, vel decem sexies multiplicant: quia
universale hoc tempus in explenda decem præcepta
Legis spiritualiter esse transfigendum, operibus suis
manifestant, & verbo prædicant. Quorum laudem
in hoc mundo aliquando reprobi aspiciunt: & ut
similiter laudentur, vel ut aliquod commodum in
hac vita quomodocumque adipiscantur, etiam ipsi
per semetiplos prædicatores sunt. De quibus bene
subditur: [*Et octoginta concubinae.*] Concupiscentia quippe
non verè, sed fictè dominos diligunt, & ab eis
non posteritatem filiorum, sed præsentiam commo-
dorum expetunt, nec continentia se exercent, sed li-
bidinem explorare concepiscunt. Sic falsi predicatori
in Ecclesia existunt: quia dum non Christum,
sed lucrum vel laudem diligunt, non spiritualiter &
castè, sed carnaliter & libidinosè Christo se conjun-
gunt. Bene ergo concubinæ vocantur; quia Chri-
stum

497 in Cantica Canticorum, Cap. VI. 498

stum quem prædican, non spiritu, sed carne sectan-
 tur. De quibus Apostolus Paulus dicebat: *Muli-*
Phil. 3. *enim ambulant, quos sāpe dicebam vobis, nunc autem*
& pēns dico, inimicos crucis Christi, quorum finis in-
terior, quorum deus venter est. De quibus ipse idem
Rom. 16. *ait: Huiusmodi non servium Dominu Iesū, sed suo*
ventre. Quia tamen concubina bene oīginta esse
dicuntur; quia etiā toto corde terrena diligat, cæle-
stia tamen loquuntur. Oītonarium quippe numeru-
m per denarium ducimus, & ad octoginta veni-
mus. Per decem autem Decalogus, sicut diētum est,
significatur: per oīto verd̄ resurrecōio, quia oītavo
die Redēnptor noster resurrexisse probatur. Prædi-
catores vero etiā falsi sunt, per desiderium tamē, &
scripturam dīvinam, & resurrecōionem quam credi-
mus, manifestant per verbum. Si enim aliud prædi-
carent prædicatores, inter Christianos non essent:
Mar. 23. *d* *de quibus in Evangelio Veritas ait: Supercaīhedram*
*Moysi fedērunt Scribā & Pharisai: que dicunt faci-
 te, quā autem faciunt, facere nosſe. Sed quia & fal-*
forū & verorum prædicatorum exhortatione plu-
riti ad fidem veniunt, & cum electis multi intrant,
qui ad fort̄ in electōrum non pertingunt, ideo subdi-
tūr: [Et adolescentularum non est numerus.] Cūm
Eccle. 11. *enim scriptum sit: Adolescentia & juvenus vana*
d *sunt: quid per adolescentias has, nisi vagas animas*
intelligimus? Quā dum vana hujus mundi seftan-
tur quia diligunt, numerum electōrum excedunt.
P/39. d *De quibus per Pfalmistam dicitur: Annūciati &*
locūs sūm, multiplicati sūm super numerū. Quid
enim electōrum numerus apud Deum sit constitutus,
2. Tim. 2. *d* *manifestat Apostolus Paulus qui ait: Novis Domi-*
nus qui sunt eūs. Et per semetipsum Dominus ait:
Ioan. 13. *b* *Ego scio quos elegerim. Quos quia non imperfēctē*
scit, sed perfectē novit, procul dubio & numerum
in quo eliguntur, cognoscit. De quibus per Paulum
Rom. 8. f *dicitur: Quos enim preservit, & prædefinavit con-*
formes fieri imaginis sūi. Bene ergo adolescentu-
larum non est numerus; quia dum per vanitatem
quam diligunt, in numerum electōrum non currunt,
extra remanentes quasi in cognitionem dīvinam non
veniunt. Quibus ip̄a Veritas in futuro judicio di-
Mat. 25. *ctura est: Ne ego vos. &: Discedite à me omnes, qui*
I/36. b *operamini iniquitatem. Sed dum reprobi mundana*
quārunt, & per multiplices cupiditates animum di-
vidunt, sancta qualibet anima in numerum electō-
rum se stringit, multa quā videt fastidiens, unum
quod non videt, ardenter appetit, quod quandiu
non tenet, in fide se nutrit, in charitate se unit. Et
dum id quod unum & idipsum est sequitur, de hu-
jusmodi multis una Ecclesia conficitur, de qua per
sponsū dicitur:

VIII. *Vna est columba mea, perfecta mea, una est*
matri sue, electa genitrici sua.

Mater nostra est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur, quia illos filios colligit, qui in simplicitate permanent, & ab unitate non scanduntur. Multi quippe fideles dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum & animam unam, in charitate se ununt, ex multis membris unum corpus efficiunt. Omnesque in unitatis simplicitate & unitate viventes, una columba existunt. Quia sola perfecta & electa genitrici sua dicitur, quia extra hanc quam dīcimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratia fovente nutritur. De qua bene subditur:

IX. *Viderunt eam filii Sion, & beatissimam præ-*
dicaverunt: regina & concubina lauda-
verunt eam.

Sion filiae, filiae sunt Ecclesiae, quā dām vitam
 S. Greg. Tom. III.

A eternam in hac carne contemplantur, à peregrinante Ecclesia ad regnante Ecclesiam eriguntur. Vident filiae Sion columbam, & beatissimam prædicant: quia sancta anima dum virtutes Ecclesiae spestant, in laudem prorumpunt, & ad ejus beatitudinem inhiant. Sancta quippe Ecclesia gratia genitrix nutritur, dum fide eruditur, carne sui sponsi patitur, sanguine lavatur, scripturā divinā saginatur. Hujusmodi robusta nutrimentis demones expugnat, vita suffocat, carnem domat, spiritum roborat, vitam expectat. Hec omnis quicunque aspicit, recte in admirationem protinus asurgit, & beatissimam pronunciat, quia videt ad quantam gloriam per tot virutes exurgat. Cum reginis eam & concubine laudant; quia etiā operibus falsi prædicatores contradicunt, sermonibus tamen eadem quā & veri populis ostendunt. De quibus ipsa Veritas dicit:

Populus hic labi s me honorat, cor autem eorum longē Mat. 15.
est a me. Quod aperte manifestat dum iterum dicit: ex I/51.
Dicunt enim, & non faciunt. De quibus & per Apo. 27. b *stolum Paulum dicitur: Dicatis confitentur se nosſe* Mat. 23.
Deum, factis autem negati. Sancti autem viri dicitis Tit. 3. d
& factis Deum confitentur; quia quod credunt faciunt, & ad bona quae faciunt, etiam alios sermonibus & exemplis trahunt. Quorum virtutibus adverſarij ad fidem excitantur, dum in eis & puritatem fidei, & constantiam operis admirantur. Unde & synagoga ad fidem erigitur, cūm in Ecclesia quā sint merita fidei admirans contemplatur, dicens:

C *Quā est ista que progreditur quasi aurora con-*
furgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terri-
bilis ut caſtrorum acies ordinata?

Ecclesia sancta quasi aurora consurgens in judicio ultimo progreditur, quia relictis tenebris corruptiōnis, incorptionis claritate innovatur. Quā bene ut sol electa dicitur; quia ad eamē gloriam perducitur, ad quam caput ejus Christus, qui sol iustitiae esse perlibetur. Unde est quod idem sol ait: *Volo Pater, ut ubi ego sum, illuc & minister meus sit. Quod* 10an. 12.
d. 17. d *tamen & de membris ejusdem Ecclesiae adhuc in hac*
carme viventibus intelligi potest. Sunt enim nonnulli qui magna intentione quā sine tormenta reproborum aspiciunt, & quae sunt facta sua sine palpatione examinare contendunt. Dumque se peccasse cognoscunt, & per hoc ire ad reproborum tormenta pertimescant, subito tenebras iniquitatis derelinquent, & luce iustitiae accendi concipiunt. Mox ad sanctam operationem consurgunt, & per bona quae faciunt, clarere quibusque proximis incipiunt. Hi proculdubio velut aurora consurgentēs progrediuntur; quia subito noctem peccati evanentes, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima quā prius erat in tenebris, nunc splendens apparet;

& quia etiam in semeripta obscurabatur, nunc alius lumine sancta operationis resplendet. De qua bene subditur: [Pulchra ut luna, electa ut sol.] Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiat, demonstrat. Sic nimurum quaque anima, quae tenebras dimittit, & in sanctam operationem se extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aspiciunt, & ad idem faciendum se convertunt, quasi errantes in nocte, per lumen lunæ ad viam redunt. Hec itaque anima dum peccantibus bona exempla præbet, quasi luna in nocte lucet. Dum verò magis ac magis crescit, & de die in diem per consuetudinem operis lumen iustitiae tam perfectè accipit, ut etiam bonis exemplis imitationis præbeat, quia prius solis peccatoribus imitanda apparebat, profecto jam luna sol efficitur; quia quā in nocte errantibus nunc lucebat, modò in die

II

ambulantibus lumen veritatis manifestat. Hinc est A quod sequitur: [*Electa ut sol.*] De qua bene subdividatur: [*Terribilis ut ciborum acies ordinata.*] Hoc quia jam dictum est, iterum non necesse est exponi, ne sic videatur fastidium generari. Sequitur ergo sponsus, & causam dicit unde tanta virtus in Ecclesia exercere possit. Visitatione quippe Christi renovatur, & quod in ea tenebrolum est, respectione eius illuminatur. Et hinc est quod subdens ait:

XI. *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallis: et inspicere si florissent vineæ, et germinasset mala punica.*

Quid per nuces, nisi perfectos quosque intelligimus, qui dum divinam sapientiam intra corpora sua retinent, quasi nucleus in fragili testa portant? Sunt enim quāplures in Ecclesia, qui assidue divinæ scripturæ intendent, quām suavis sit Dominus gaudentes, amplius gustare concupiscunt, sancta gaudia in corde ruminant, & ruminantes magis ac magis convalescent; & tamen foris nescientibus eos, viiles apparent; quia ignoratur quām dulcem in suis interioribus cibum portent. Quid isti, nisi nuces existunt, qui nuclei dulcedinem intus ferunt, exteriorū verò carnis vilitatem prætendunt? De quibus erat 2. Cor. 4. Apostolus, qui dicebat: *Habemus thesaurum istum in vasculis fistulis.* Hortus igitur nucum, corda sunt sanctorum, qui dum Deum valde diligunt, calefent dulcedinem in intimis gerunt. Unde in Psalmo scriptum est: *Quām magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te!* Sed quid est quōd in hortum nucum sponsus descendit, ut poma videat, cūm potius nuces videre debeat? Verumtamen sciendum est, quid maximè corda perfectorum visitat, eisque benignitatis lux suavitatem manifestat; ut per eos ad infirmiores postmodum veniat, & quantum in augmentum iustitiae proficerint, per illos cognoscat. Unde scriptum est: *Dominus de celo prospexit super filios hominum, ut videat si esset intelligens, aut requirens Deum.* Dum enim divina bonitas corda perfectorum illustrat, eosque ad curam proximorum per charitatis sollicitudinem instigat, quid hoc est aliud, nisi quōd ad hortum veniens, poma convallis per illos quibus præsider, prospectat? Tunc enim Dominus videat, vel cognoscere dicitur, cūm Sanctos suos quos illustrat, ad videndum exhortatur. Sed quid est quōd non poma montis, sed poma convallis, ut videat descendit, nisi quōd illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit? De quo per Psalmistam dicitur: 7. 137. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alia à longè cognoscit.* Et ipse Dominus per semet ipsum ex voce Prophetæ dicit: *Super quem requiesceret spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & tremorem sermones meos?* Sequitur autem sponsus, & dicit: [*Et inspicere si florissent vineæ, & germinasset mala punica.*] Vineæ florent, quando in Ecclesia filii recenter in fide generantur, & ad sanctam conversationem, quasi ad fructus soliditatem, præparantur. Mala punica germinant, quando perfecti quique per exempla sua proximos adificant, & in novitatem sanctæ conversationis per prædicationem & bonorum operum ostensionem invitant. Illud quippe malum punicum, videat Apostolus Paulus germinaverat, qui dicebat: Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum partui, donec formetur Christus in vobis.* Sic enim in sancta Ecclesia agitur, ut per bonos mali convertantur, per perfectos imperfecti natiuantur, donec & ipsi ad perfectionem veniant, & infirmos quosque sicut ipsi perduci sunt, ad meliora perducant. Hoc Christus Ecclesiæ sponsus visitando perficit, respiciendo corpus sanctum conjungit: quia ideo corpus infirmitatis assumptæ cognoscitur, ut in corpus sue claritatis tota

simul Ecclesia transformetur. Unde beatus Paulus Phil. 3. 4 ait: *Qui reformabit corpus humiliatis nostra configuratum corpori claritatis sue.* Hæc omnia in fine mundi synagoga tandem excitata percipiet, & se tamdiu hæc ignorasse reprehendet, dicens:

Nescivi: anima mea conturbavit me propter XII. quadrigas Aminadab.

Ac si diceret: Tot virtutes in sancta Ecclesia fieri videntur, quare in tanto tempore non percepit? Quare incredula perfisi? Cur tamdiu per infidelitatem meani in tenebris ignorantia remansi? Sed propter quadrigas Aminadab conturbatur, quia quandoque per Christi prædicationem ad fidem suscipiendam excitatur. Aminadab enim spontaneus populi mei interpretatur. Et bene proculdubio Christus Jesus à Patre spontaneus populi mei dicitur; quia vero spontanea charitate ad populum salvandum descendit, & ut nos à morte relevaret, pia voluntate & benigna gratia mortem in cruce suscepit. Unde & ipse ad Patrem ait: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Et unus 17. 5. 4 ex redemptis ad Christum loquens, aiebat: *Exaudi Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Propter quadrigas ergo Aminadab synagoga conturbatur; quia quando tandem quatuor Christi Euangelia in mundo currentia, in cordibus hominum ferventia per fidem contemplatur, mox de infidelitatis sua tenebris confunditur, & oborta confusione salubri, ad pœnitentiam commovetur. Cui Ecclesia benigne loquitur, dicens:

Revertere revertere Sunamitis: revertere revertere XIII. revertere, ut intueamur te.

Sunamitis quippe captiva interpretatur. Sunamitis ergo ut revertatur vocatur; quia synagoga in fine mundi fides ad Ecclesia offeretur, ut dignitatem pristine recipiat, quæ sub infidelitatis jugo à dæmonibus captivatur. Et bene quater reverti admoneatur; quia in quatuor mundi partes modò Judæi dispersi sunt, qui ubiqueque fuerint, ut dictum est, in fine convertentur, sicut predictum est per Prophetam: *Si fuerit numerus filiorum Israel velut arena mari, reliqua salva fiunt.* Revertatur ergo Sunamitis, ut eam intueamur, id est, synagoga ad fidem convertatur, ut in pœnitentia sua omnibus ostendat quantum malum fecerit, quando Deum suum in cruce configebat. Sed protinus cum Ecclesia fidem synagoga intueri appetit, sponsus congratulando quæ interrogans responderet, & dicit:

CAPUT VII.

Quid videbis in Sunamite, nisi choros I. castrorum?

C Astra quippe militantium sunt. Castra ergo in Sunamite videbuntur; quia pro fide, quam modò impugnat, tunc robustè contra infideles prælibatur. Sed quia hoc per sanctam Ecclesiam fieri synagoga convertatur, quia sermonibus & exemplis prædicatorum ad fidem convertetur, ideo rectè ad laudem sponsæ sponsus se convertit, dicens:

Quām pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis? II.

Filia principis sancta Ecclesia dicitur, quia prædicatione Christi in vitam novam regeneratur, qui per divinitatis potentiam, omni creaturæ quam condidit, principatur. Quid autem sunt calceamenta Ecclesie, nisi exempla præcedentium patrum, quibus in via mundi hujus munitur, ut per omnes tribula-

Ephes. 6. tiones quæ exurgunt, confidenter calceata gradia-
tur? Unde alibi predictoribus Paulus dicit: *Cal-
ceati pedes in preparationem Evangelij pacis.* Cal-
ceamenta quippe de mortuis animalibus sunt. Et
nos pedes spiritualiter calceamus, quando à patri-
bus sanctis carne mortuis exempla sumimus, ut
ad corum similitudinem mundi hujus tentationes
expugnemus. Potest tamen intelligi quod Ecclesia
calceatur, quando in prædicatione sua ad perferen-
da insurgentia mala morte Christi munitur. Pulchri
ergo sunt sponsæ gressus calceate, que filia est prin-
cipis; quia coram divinis oculis placet officium cu-
juslibet electi secundum exempla patrum prædicant-
is. Sequitur:

III. *Iunctura femorum tuorum, sicut monilia qua
fabricata sunt manu artificis.*

Per duo femora sponsæ, duo populi Ecclesiae: per
juncturam femorum, concordia designatur prædi-
catorum, quibus populi uniuntur, dum ad Fidem
catholicam circumcisio & præputium per eos eru-
diuntur. Qui ut monilia existunt; quia dum in sa-
pientia, qua refulgent, sancta opera faciunt, quasi
in auro lapides gerunt. De quibus sequitur: [Quæ
fabricata sunt manu artificis.] Manu artificis monili
fabricantur, quia opere Christi prædicatores pul-
chri & utiles efficiuntur. Sequitur:

IV. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam
indigens poculis.*

Umbilicus etiam sanctorum prædicatorum ordo
est: qui bene crater esse dicitur, quia dum per eos
populus eruditur, vino spirituali ipsorum officio de-
briatur. Qui bene tornatilis nuncupatur; quia juxta
mores hominum universos necesse est ut lingua præ-
dicatoris volvatur. Qui poculis non indiget; quia
quod aliis propinat, necesse est ut abundantius
ceteris bibat, & pleniùs quod dat, contineat. Se-
quitur:

V. *Venter tuus sicut accervus tritici, vallatus
liliis.*

Per ventrem, populi latitudo designatur: qui bene
sicut accervus tritici liliis vallatur; quia dum operi-
bus sanctis intendens, in cælestè horreum præparatur,
exemplis sanctorum, ut perseveret, undique
munitur; de quibus iterum dicitur:

VI. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli caprea ge-
melli.*

Duo ubera, duo populi existunt: quia dum in a-
more fraterno semper vivunt, se invicem laetè pie-
tatis in charitate nutrunt. Qui bene duo hinnuli
caprea gemelli nominantur: quia dum per prædi-
cationem synagoge in fide geniti, ejus scripturis nu-
triuntur, in spe æternitatis intendentes, quasi in
montibus concordes pascuntur. De quibus prædi-
catoribus sequitur:

VII. *Collum tuum sicut turris eburnea.*

Collum sponsæ sicut turris eburnea dicitur; quia
prædicatores Ecclesie & alti per contemplationem,
& fortes per sanctorum operum exercitationem, &
preciosi per divinam sapientiam habentur. De qui-
bus iterum dicitur:

VIII. *Oculi tui sicut piscina in Hesebon, qua sunt in
porta filia multitudinis.*

Hesbon cingulum mæroris interpretatur. Oculi
ergo sponsæ sicut piscina in Hesbon dicuntur; quia
dum de peregrinatione sua contristantur, & ma-
S. Greg. Tom. III.

A rore corroborati, contra spiritales hostes accin-
guntur, lacrymis se lavant, ut per eos populi con-
venienter coram Deo mundentur. In porta autem
filii multitudinis sunt: quia in fide stant, per quam
Ecclesia multitudinem ad cælestia introducunt. Se-
quitur:

*Nasus tuus sicut turris Libani, qua respicit IX.
contra Damascum.*

In naso odoris discretio habetur. Per nasum ergo
discretio prædicatorum designatur: quia per eos no-
bis virtutum odores, & vitorum factores demon-
strantur. Sed nasus sicut turris Libani existit: quia
dum semel prædicatores aquâ Baptismatis lavantur,
& quotidianis lacrymis à peccatis qua contra Deum
commiserunt, dealbantur, digni sunt ut ad altiora
magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed tur-
ris contra Damascum respicit: quia peccatoribus
semper sanctus quislibet prædicator contradicit. Da-
mascus quippe sanguineus interpretatur, & peccatri-
ci genti dicitur: *Manus tua plena sunt sanguine.* Sed *1. I. 1. 1.* d
quia de membris dixit, dignum est ut de capite lo-
quatur. Ideo subditur:

*Caput tuum ut Carmelus, & coma capitis tui X.
ut purpura Regis juncta canalibus.*

Caput Ecclesia Christus: qui bene ut Carmelus *Ephes. 5.*
dicitur; quia ipse per passionem quam sustinuit, ad
gloriam Patris est exaltatus. De quo scriptum est:

C *Et erit in novissimis diebus preparatus mons dominus 1. 2. 2. a*
Domini in vertice montium. In Carmelo quippe Elias 3. Reg. 18

orans obtinuit pluviam: & nos in Carmelo oran-
tes pluviam impetravimus, quando in Christum cre-
dentes Christum desideramus, & à Patre irrigatio-
nen gratia suscipimus, quam rogamus. Moraliter
autem caput sponsæ mens vocatur: quia sicut à capi-
te membra, sic à mente omnes cogitatus nostri dis-
ponuntur. Carmelus autem scientia circumcisionis
interpretatur. Caput ergo sponsæ ut Carmelus esse
perhibetur; quia quelibet sancta mens novit quali-
ter dignè circumcidatur; novit quia nihil est quid-
quid in corpore agitur, si mens immunda fuerit, que
templum Christi si efficitur, ab ipso inhabitatur.
Quod quia Pharisei non agebant, ideo dicebat bea-
tus Stephanus eis qui cum occidebant: *Dura cervice, 4. 7. f.*
*& incircuncisis cordibus & auribus, vos semper respi-
tis Spiritui sancto.* Come autem capitum ejus ut
purpura Regis juncta canalibus esse memorantur.
Purpura quippe per fasciculos in canalibus ligatur,
super quos dum aqua projicitur, per canales ad ve-
stem quæ supposita est, currit, ut vestis tingatur; &
inde nomen accipit, ut tintæ colore purpureo pur-
pura vocetur; quæ omnia sancta menti congruent,
si intelligantur. Come quippe capitum sunt cogita-
tiones mentis, quæ in canalibus ligantur, quia in
scripturis divinis ne inutiliter fluant, stringuntur.
Super quas aqua projicitur, que vestem regiam cur-
renstingit; quia dum in cognitionibus sancte men-
tis, gratia cœlestis suscipitur, totam animam in cæle-
ste ornamentum componit: ita ut iam tota anima

E in vitam æternam inardescat, & ad æternum spon-
sum etiam per sanguinem martyrij pergere concu-
piscat. De tota quippe Ecclesia Paulus dicit: *Qui Ephes. 5.*
exhibuit sibi Ecclesiam, vestem sine macula & ruga. 1. 4. 9.
Et de singulis Ecclesiæ fidelibus dicitur: *His omni-
bus veluti ornamento vestieris.* Sic tintæ ergo, sic
pulchra, sic purpureæ factæ sponsa adgaudens spon-
sus loquitur, dicens:

*Quam pulchra es, et quam decora charissima XI.
in deliciis.*

Notandum quod charissima in deliciis dicitur,
Ii ij

^{Mat. 13} quia ad charitatem & familiaritatem Christi non A pervenit , quisquis scriptura sancte deliciis abundare non contendit . Inde enim dicitur : *Omni habenti dabitur , & abundabit : ei autem qui non habet , & quod videretur habere , auferetur ab eo.* His enim deliciis qui abundant , reficitur : his refectus , affidetur ad majora percipienda preparatur . Unde & huic sponsa charissima dicitur :

XII. *Statura tua assimilata est palme , & ubera tua botris.*

^{Ps. 91.4} Palma quippe dum crescit , deorsum stringitur , & sursum dilatatur . Sic sancta anima ab iniis ad minima incipit , & paulatim ad majora crescendo , usque ad amplitudinem perfecte & charitatis pervenit . Nemo enim , sicut scriptum est , repente fit summus . In Psalmo autem de justo homine dicitur : *Iustus ut palma floribit .* Ubera autem sponsa , duo praecpta charitatis existunt ; quae animam quam possident , vino calesti inebriant & nutrunt . Potest tamen per palmarum crucis Christi intelligi . Palma enim in sublime valde crescens , dulcissimos fructus gignit : & crux Christi celestem cibum nobis preparavit . Cui statura sponsa assimilatur : quia pro Christo mori non dubitat , quisquis Christum valde diligens dignè imitatur . De palma sequitur sponsus , dicens :

XIII. *Dixi , Ascendam in palmam , & apprehendam fructus ejus : & erunt ubera tua sicut botri vineæ : & odor oris tui sicut malorum.*

^{Apoc. 28} Dixit verè , & ascendit : quia sicut ante secula pro morte nostra mori disposuit , sic in fine mundi propitiatus & verax adimplevit . In palman ergo ascendet , & fructus ejus apprehendit : quia in cruce suspensus , fructum vitæ invenit ac apprehendit , & nobis tribuit . Unde adimpletum est quod sequitur : [*Et erunt ubera tua sicut botri vineæ .*] Verè per crucem ubera sponsa sicut botri vineæ existunt ; quia in morte Christi duo praecpta charitatis sensus animæ suscepunt , quibus pasta anima debrietur , debriata posteriora oblitiscatur , & in anteriora extendatur . His uberibus etiam proximos quoque nutrit , ac roboratos secum ad ea quæ concupiscent perdicit . Unde scriptum est : *Qui audit , dicat veri .* Sequitur : [*Et odor oris tui sicut malorum .*] Mala punica , de quibus superius tam sepe dictum est , hic rememorantur , quorunq; odoris oris sponsa bene fatis assimilatur . Per mala autem punica Martyres designari superius diximus . Per os autem sponsa hic debere intelligi ejus prædicationem putamus . Quæ dum virtutes Martyrum prædicat , dum ad eorum similitudinem animos audientium instigat , dum in unius prædicatione fidei multas virtutes esse manifestat , quid aliud quam malorum odorem in ore portat ? Quia & ruborem corticis in martyrio ostendit quod prædicat , & in virtutibus multitudinem granorum sub eadem fide quasi sub eodem cortice demonstrat . De quo & subditur :

XIV. *Guttur tuum quasi vinum optimum , dignum dilecto meo ad potandum , labiisque & dentibus illius ad ruminandum .*

In gutture quippe vox est . Per guttur ergo ipsa prædicatione iterum designatur : quæ quasi vinum optimum esse dicitur , quia mentes hominum inebriat , ut præteriorum , sicut dictum est , obliviscantur , & in anteriora currentes non lascentur . De quo sponsa , verbum de ore sponsi suscipiens , adjungit : [*Dignum dilecto meo ad potandum , labiisque & dentibus illius ad ruminandum .*] Tale est sponsa vinum , ut dignum sit dilecto ad potandum : quia dum sancta

Ecclesia fidem veram prædicat , dum auditores suos ad sancta opera excitat , dum solum Christum diligere , imitari , amplecti , bonum esse , verbis & operibus demonstrat , quid aliud quam vinum suum dignum facit , ut in ore sponsi dulce sapiat ? Quod bene Christus potare dicitur : quia à corpore suo , id est , à populi clibanus amabiliter potatur . De quo notandum est quod omnes potant , sed labia sola & soli dentes ruminant : quia dum Ecclesia per sanctos suos prædicat , omnes quidem audiunt , sed non omnes quanta sit virtus sententiarum quæ dicuntur , discernunt . Labia verò & dentes ruminant ; quia dum perfectiores quique post auditum verba ad memoriam revocant , dum audita quæque exercitatiose assida cogitant , quasi ad os revocantes quod sumpererunt , quanta sit virtus cibi quem comedunt , sentiunt . Id ^{Lev. II.} circa in lege scribitur , quia animal quod non ruminat , immundum habet : quia quisquies bona quæ audit sive legit , non recognoscit , vacans à sanctis cogitationibus , necessario immundas congregat . Sequitur sponsa & dicit :

Ego dilecto meo , et ad me conversio ejus . XV.

Ac si diceret : Quoniam fide ac dilectione soli Christo adhaereo , solum sequor , solum cum Patre & Spiritu sancto unum Deum videre concupisco , reprobationis ejus suavitatem , visitationis benignitatem , conversationis dulcedinem gaudenter experior , experiens proclamo :

Veni dilecte mi , egrediamur in agrum , com moremur in villis : mane surgamus ad vi necas , videamus si floruit vinea , si flores fructus parturint , si floruerunt mala punica : ibi dabo tibi ubera mea XVI.

Dum sponsa sponsi dulcedinem experta se reficit , de proximo etiam cogitat , quem ipsius sponsi præcepto sicut se diligit : & quia sponsi præcepta vel secreta intelligit , etiam ut alij intelligent concupiscit , dicens : [*Veni dilecte mi , egrediamur in agrum .*] Ager quippe , telle Veritate , est hic mundus . In agrum vero cum sponsa sponsi egreditur , quando Verbum Dei ^{Mat. 13.} carne suscepit , in thalamo Virginis mundo monstratur . In villis commoratur , quando gentes per fidem visitat , quam recipientibus largitur . Mane ad vineas surgit ; quia post resurrectionem suam in gloria Patris ledens , Ecclesiæ quas construit , etiam defendit . Si floruit vinea conspicit ; quia omnem profectum Ecclesiæ districto examine perpendit . Videlicet si flores fructus parturint ; quia perspicit ad quem profectum teneri quique & imperfecti excrescent . Videlicet etiam si floruerunt mala punica ; quia perfectos quoque respicit , & quid utilitas in proximis habeant , quasi in floribus fructum arborum cognoscit , de quibus bene sequitur : [*Ibi dabo tibi ubera mea .*] In malis punicis das sponsa ubera ; quia in perfectis vivit charitas gemina , ex qua dum infirmæ membra in Ecclesia nutrunt , quasi Christum latent , quem in minimis suis esse presentem cognoscunt . De quibus bene subditur :

E *Mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris .* XVII.

Quid per mandragoras , herbam scilicet medicinalem & odoriferam , nisi virtus perfectorum intelligitur ? Per quam perfecti quique dum imperfectorum infirmitatibus medentur , in fide quam prædicant , id est , in portis Ecclesiæ veri medici esse compobantur . Qui dum exempla bonorum operum circumquaque per sanctam famam tribuant , quasi odorem quo ægroti sanentur , aspergunt . Sequitur :

Omnia poma , nova et vetera , dilecte mi , ser vavi tibi . XVIII.

Hic per poma, sensus scripturarum sanctorum intelliguntur: quae dum ex patibus sanctis ad nos usque perveniunt, & creduntur, quasi ex arboribus poma exurgunt, quibus anima delectantur. Omnia ergo poma, nova & vetera dilecta suo sponsa servat, quia sic novum Testamentum Ecclesia catholica recipit, ut vetus non abjicit: sic vetus veneratur: ut novum semper in ipsius sacrificiis carnalibus per spiritum intelligat, in novo scilicet Christum venisse congaudens, in veteri autem semper venturum expectans, & dicens:

C A P U T VIII.

- I. **Q**uis mihi dedit te fratrem meum sanguinem ubera matris meae, ut inveniam te solum foris, & deosculer, & jam me nemo despiciat?

IN veteri lege Ecclesia posita Christum exspectabat, & exspectabat, & in secreto Patris manentem, foras venire per carnem ad humanos oculos non mediocriter cupiebat. Unde & David desiderans dicebat: *Exurge, & ne repellas in finem.* Et alibi: *In clinacalos tuos, & descendere.* Et Iacobus valde cupiens eum videre, dicebat: *Veniam disrumpere celos, & descendere.* Vult ergo sponsum foris sponsa invenire, & deosculari: quia concupiscit sub lege posita ut per carnem appareat; ut ei per amorem serviat, cui prius non accepta gratia, plus timore quam amore serviebat. Post cujus osculum jam à nemine despiciatur: quia postquam Christus venit, & fidelibus suis spiritum libertatis infudit, ab ipsis etiam *An-
ticipes, d* gelis Ecclesia honoratur. Hinc est quod Iosue *Apo-
c. 22.* gelum adoravit; Joannus verò volenti se adorare dixit: *Vide ne feceris, conseruos tuus sum, & unus fra-
trum tuorum habentium testimonium Iesu.* Sed quia venientem Ecclesia suscepit, synagoga repulit, quae iterum eum in fine mundi suscipiet & amabit, ideo subsequitur Ecclesia, & dicit:

- II. Apprehendam te, et ducam in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae. Ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vi-
no conditum, et mustum malorum granatum
morum meorum.

Apprehensum in domum matris suæ ducit, quia D synagogæ in fine mundi Christum, in quem credit, prædicabit: dumque per prædicationem Ecclesia suscepit facit, ibi Ecclesiam docebit: quia se doceri gaudebit, quando synagogam jam idem corpus factam erudiri secum videbit. Poculum ex vino conditum Ecclesia dabit, quia ipsi synagogæ novum Testamentum cum veteri prædicabit: & quasi vino poculum condit, quia dulcedinem Evangelij testimonialis legis, quæ apera est, ut robustius teneatur, cinget. Mustum vero malorum granatorum suorum tribuer, quia fortium virorum qui unitatem Ecclesie etiam in martyrio tenuerunt, exempla apponent, ut ad eorum similitudinem synagoga inardecat, & antichristi persecutionibus, Martyrum præcedentium exemplis roborata non succumbat. Cum enim fortium pugnatorum victorias audierit, ad eorum imitationem pugnam subire non dubitabit. Quod aperiè manifestat cum subjungit:

- III. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

*Sup. c. t.
post pri.* Læva Christi vita præsens, dextera verò vita beatitudinis habetur. Caput autem nostrum spiritualiter mens esse perhibetur. Dicit ergo synagoga prædicationibus Ecclesiæ jam conversa, exemplis roborata, imitatione sublevata: [*Læva ejus sub capite meo, &*

A dextera illius amplexabitur me.] Ac si diceret: Quoniam nunc tandem Christi fidem teneo, ejus inef fabilem gratiam experior concupiscebilem, & quam desiderare nesciebam dulcedinem sentio: jam terra omnia postpono, etiam ipsam vitam carnis pro ejus amore contemno, & ad ejus beatitudinem vindicandam totis desideriis anhelo. Hoc quippe quod rem aliquam amplectitur, ipsam quam amplectitur rem, ex omni parte intra se habere non ignoratur. Læva ergo sub capite est, & dextera amplexatur, quando sancta anima mentis ea qua videt supponit, & ea qua non videt, omni conatu & universis suis cogitationibus appetit. Sunt quippe modò nonnulli, qui tanto desiderio cœlestia sectantur, ut omnia visibilia pro nihilo reputent, mentem suam cœlestibus studiis sine intermissione occupent, ut nihil aliud agere libeat; quidquid extra spiritalem actionem est, animus fastidiat, hanc solam diligit, cetera contemnat, nisi forte ea isti necessaria esse cognoscat. Isti vero sub capite lævam habent, qui mente creata ad beatitudinem Christi currentes, vitam præsentem sub se vident. Et dextera Christi eos amplexatur; quia ex omni parte eos dilectio cœlestis intra se retinet, tuerit. Hujusmodi quippe virtus sancto otio delectatur, in quo vita beatæ delectatione concupisibiliter per contemplationem perfunduntur. In qua contemplatione oculum cordis mundant, ut Deum adhuc etiam in hac carne positi, quantum humanæ infirmitati datum est, videant, cujus visione se illuminent, suavitate reficiant. Isti illam beatitudinem jam aliquantulum experientur, de qua in Evangelio Veritatis vox dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipse Deum videbunt.* Quod enim futurum est, jam in eis incipit compleri: quia etsi in hoc mundo adhuc in carne vivunt, jam tamen per hoc quod maius est in eis, extra carnem sunt. In his implerur quod per Psalmistam divina vox præcipitur: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Hi enim quod sine mundi strepitu vivunt, eò mentem in Dei visionem per desiderium & contemplationem figunt. Et quoniam tales multi ex synagoga in fine mundi, ut credimus, per * conversionem erunt, bene ad hujusmodi dictam intelligitur: [*Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*] De quibus & pro quibus sponsus loquitur consequenter:

Adjuro vos filie Hierusalem, ne suscitatis ne que evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

IV.

Sed quia jam illud superius exposuimus, iterum exponere recusamus. Sed de eadem synagoga jam facta Ecclesia, filia Hierusalem admirantes interrogant & dicunt:

Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?

V.

Sancta Ecclesia, vel quælibet sancta anima, de de ferto ascendit, quia in exilio hujus peregrinationis post præposita, ad cœlestia gaudia mente & cogitationibus tendit. Unde & Paulus dicebat: *Nostra conversatio in celis est.* Delicis affluit, quia sanctæ scripture meditationibus intendens, cœlesti pabulo assidue mentem pacit. Super dilectum innititur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente ab exilio ad patriam transfertur. Ipsa quippe Veritas omnibus fidelibus ait: *Sine me nihil potestis facere.* Unde ve- *Ioan. 14.* rò accepit, ut ab infusis ad superiora, à deserto ad regnum ascendere possit, manifestat dilectus cùm subdit:

Sub arbore malo suscitari te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

VI.

Quid per arborem malum, nisi sancta crux defi-

I i ii

gnatur? quæ malum illud sustinuit, de quo eadem sponsa in superioribus dicit: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Sed sponsam suam Christus sub arbore malo suscitavit, quia in cruce positus, subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocavit; ut à somno mortis resurgeret, & cum illo se crucifixus, ad novam resurrectionem properaret. Unde & Apostolus cuivis animæ mortua dicit: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Et quibusdam qui jam surrexerant, alibi dicit: *Si con surrexitis cum Christo, que sursum sunt querite.* Sed quia infidelitas synagoga Christum crucifixit, ideo sequitur: [*Ibi corrupta est mater tua.*] Sub arbore malo mater Ecclesiae corrupta esse dicitur, quia quando Salvatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corruptit. Cujus sceleris magnitudinem inculcat, cùm idem replicat, dicens: [*Ibi violata est genitrix tua.*] Sed quoniam ad hoc cæcitas in Istaël facta est, ut plenitudo Gentium intraret, ideo intranti Ecclesia dicitur:

VII. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

In corde sunt cogitationes, &c in brachio operationes. Super cor ergo & super brachium sponsa, dilectus ut signaculum ponitur; quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur. Signum quippe sancta mens interior & exterior Christum portat; quia dum in ejus meditationibus assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quod ejus dilecta esse dubitari non debeat. De quo signo ipse sponsus discipulis suis aiebat: *In hoc cognoscere omnes quia vere mei discipuli es, si dilectionem habueritis ad invicem.* De qua dilectione mox subditur:

VIII. *Quia fortis est ut mors dilectio: dura sicut infernus emulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum.*

Bene proculdubio fortis ut mors dilectio esse prohibetur: quia dum per dilectionem à virtutis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui sic diligunt Deum, ut omnia visibilia neglicant, & dum mente in eterna tendunt, ad omnia temporalia pene insensibiles fiunt. In his nimis ut mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio & naturali appetitu interficit, sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contempnere mentem alias intentam compellit. Hujusmodi mortui & vivi dicebat apostolus: *Mortui enim es, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hi proculdubio vitam suam cum Christo abscondunt; quia dum omnia quæ videmus, postponunt, in his quæ non videmus, in beatitudine scilicet Christi, veraciter & secretè vivunt. Quia enim falsam vitam despiciunt, quæ visibiliter apparet, in vera vita se abscondunt, quæ non nisi invisibilibus oculis se manifestat. Poteſt tamen intelligi, ut hoc de seipso Christus dicat, inquiens: [*Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio.*] Ac si diceret: Dignum est, ut in mente & actione signum dilectionis meæ meipsum tecum feras, quia in fortitudine dilectionis tuæ mortem subij, ut tu quæ mortua in infidilitate eras, mecum refurgens, in fidei novitate spiritualiter vivas. Sed quia in cruce suspensus nequaquam fuisset, nisi ad magnam invidiam cor synagogæ exarsisset, ideo subditur: [*Dura ut cor, infernus emulatio.*] Emulatio quippe & in bonum & in malum accipitur. In bonum enim accipitur, sicut per Apostolum dicitur: *Aemulamini charismata mea.* In malum autem assumitur, ubi per Samue-

lem Saül dicitur: *Auferetur à te regnum, & dabitur annos tuos.* Amulus quippe ejus David dicitur, cui Saül invidere non ignoratur. Dura est ergo ut infernus emulatio; quia dum synagoga Christum ad infernos posse transmittere se putavit, ei nisquæ ad mortem corde immisericordi invidit. Ut infernus emulatio dura extitit; quia sicut infernos sine misericordia quos tener cruciat, sic Judaïca plebs Christum apprehendens sine respectu pietatis ad mortem trahebat. De qua bene subditur: [*Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.*] Sicut enim ignis quæ incendit, consumit, sic Judeos ab omni fidei virtute invidia sua destruxit: de quibus bene alibi dicitur: *Et nunc ignis adversarios consumit.* Ac si diceretur: Antequam ad æternum ignem veniant, in præsenti consumuntur, quia in se ipsi ignem invidiæ portant, qui sine portantis combustione non portant. Hic ignis invidiæ flammis protulit, quando per exempla in quibus accensus est, etiam in Gentilibus usque ad Christianorum martyria per mundum universum excrevit. Sed quia hinc ignis invidiæ, hinc ignis charitatis se extulit, ideo subditur:

Aqua multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. IX.

Charitate quippe Martyres sancti vivaciter ardebant, quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant; quia quantacumque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare non valebant. Hoc nimis efficerat charitatem extinguere, si in tribulationibus quas ingrebat, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent. Sed cùm aquæ dñe sint, quid rursus per flumina, nisi aquarum ipsarum incrementa & vivacitas intelligitur? Flumina quippe vivas aquas solere dici cognoscimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipimus; quæ dum per totum orbem super Martyres ebullierunt, ad extinguendum charitatem ignem grandi imperio confluxerunt. Sed quia inter flumina adeo charitatis vigor vixit, ut potius flumina consumeret, quam se ab illis extingui permitteret, ideo multi etiam persecutorum ad candem charitatem se convertebant, ita ut dimitterent quidquid in mundo possidebant, & seipso morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant. Unde & subditur:

Si dederit homo omnem substantiam domus sua pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. X.

Cum terrenæ substantiæ cupiditate Deus non dilitur, quia terrenus amor oculum cordis fordidat, ne divina claritas videatur. Contra quod in Evangelio dicitur: *Beatis mundo corde, quo iam ipsi Deum Mat. 5, 8 videbunt.* Et Joannes apostolus ait: *Si quis diligat mundum, non est charitas Patris in eo.* Nec mirum, quomodo enim eum diligere potest, quem nelicit? Aut quomodo eum scit, ad quem secundum oculum cordis claudit? Sed homo omnem substantiam domus sue pro dilectione tribuit, quando quidquid in mundo possidet, pro Christo distribuit; ut adjiciens quod impedit, Deum diligit, & tergo pulvere sollicitudinum, oculos aperiat ut Deum videat. Et cum omnem substantiam dederit, quasi nihil eam despicit: quia postquam oculum tergit, & Deum conspicit, in illius visione quidquid possederat, nihil penitit. Hoc apostoli fecerunt, qui non solum possessa, sed etiam cupita, ut Christum sequerentur, dimiserunt. Quibus ipse Christus, pro quo omnia dimiserant, dicebat: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi iniusti sumus, quod debuumus facere, fecimus.* Sed quoniam abjecta terrenâ substantiæ non statim ad perfectionem ascenditur, quia rebus exterioribus abnegatis, restat etiam labor, ut

^{1.} Cor. infernus emulatio. ^{2.} & in malum accipitur. In bonum enim accipitur, sicut per Apostolum dicitur: *Aemulamini charismata mea.* ^{3.} Reg. metu. ^{4.} In malum autem assumitur, ubi per Samue-

idem ipse homo à semetipso abnegetur, quatenus gradatim proficiat, & quandoque perfectus non solum se, sed & alios secum ad vitam trahat, ideo de nova & tenera adhuc Ecclesia, vel unaquaque anima consequenter dicitur:

XI. *Soror nostra parvula est, & ubera non habet.*

Sororem Christus Ecclesiam vocat, quia de ipsis
Mat. 28. b. *Apostolis dicebat: Ite, dicitе fratribus meis. Soror autem parvula, ubera non habebat, quando in solis Apostolis Ecclesia erat, in quibus seipsum, vel alios nutritre lacte prædicationis non poterat. Quid enim Petrus alii prædicaret, cùm scipsum discipulum Christi in unius ancillæ voce detestando & jurando negaret? Prima ergo Ecclesia ubera non habebat, quia post resurrectionem in una domo inclusa, inter persecutores suos non dico prædicare, sed & videri timebat. Consequenter ergo dicitur:*

XII. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?*

Allocutus est Christus sororem suam, quando Spiritum sanctum super Apostolos misit, & eis in interioribus loquens, illos omnes mundi loquelas multiplici distributione docuit. Sed à quibus hoc querere intelligendus est qui omnia novit, nisi à sanctis patribus antiquis, quos ad quærendum Spiritu sancto insignavit? Quibus eodem Spiritu quo in quæstionem eos induxit, responderet protinus convenienter & ait:

XIII. *Si murus est, edificemus super eum propugnacula argentea.*

Dato Spiritu sancto murus sancta Ecclesia efficitur, quia quæ prius timida erat, instruente eamdem Spiritu omnipotente, ad resistendum adversariis impenetrabiliter roboratur. Quod manifestat idem Petrus sub ancilla timidis, mos contra principes rigidas, quibus dicebat: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Et iterum: *Si justum est vos potius audire quam Deum, iudicate: nos enim non possumus quæ vidimus & audivimus, non loqui.* Et de ceteris discipulis scriptum est: *Ibant discipuli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam patiri.* Ecce qualis murus facta est Ecclesia, quæ modo tenuerrima, nec pedem cuiuslibet gradientis sine sui lafione gerit, modò vero accepto mirabili artifice Spiritu sancto, universi exercitus afflatus illæa contemnit. Super quam propugnacula edificantur, quia ut non tantummodo se defendat, sed ut & impugnantes resistendo prosternat, miracula ei facere concedetur, quæ cum hostes viderint, ab ejus agressione jacula timentes terreantur. Quæ propugnacula bene argentea esse perhibentur, quia ipsa miracula cum verbi predicatione donantur. Et quia argumentum valde sonorum est metallum, argentea propugnacula existunt, quia per miracula factum est, ut eorum verba per universum mundum convalescerent, & fidei prædicationem inflexibiliter circumquaque diffundenter: quod manifestat Psalmista, dicens: *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Sc̄quitur.*

XIV. *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.*

Ostium etiam bene efficere Ecclesiam dicimus, quam ab ipso Christo potestatem aperiendi & claudendi accepisse scimus. Ostium proculdubio in suis prædictoribus existit, quia per eos aditus ad vitam se no-

bis aperit. Unde & ipsi primo pastori Ecclesia dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in celis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in celis.* Vel ostium in ipso capite suo existit, quia ipse de se veraciter dicit: *Ego sum ostium.* Ostium vero tabulis cedrinis compingitur, quia sancta Ecclesia fidem prædicans, multitudinibus populorum decoratur: & dum populi variis virtutibus aperguntur, ut videlicet alius de rebus quas possidet, indigentibus necessaria tribuat: alius omnia abiciens, etiam à legitimo connubio se abstineat: alius vero tantum proficiat, ut aliorum etiam prædictor fiat: tamquam pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis distinctionibus honoratur, que sancto Spiritu convalescens hilariter responder, dicens:

Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. XV.

Ubera sua sicut turrim habuit, ex quo pacem coram sponso reperit; quia postquam sub ipso spiritum pacis accepit, prædicatoris contemplatione altos, & robore inflexibiles nutritivit. Sed quid est quid non ait pacem, sed quasi pacem reperiens: nisi quia dum in hoc mundo sumus, à peccatis omnimodis non desistimus, & quandiu cum peccato vivimus, pacem perfectam cum illo qui sine peccato in carne vixit, non habemus? Sed quoniam tantillam pacem quam habemus, per ipsam mediatorem Dei & hominem tenemus, ideo subditur:

Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus: vir afferit pro fructu eius mille argenteos.

Ipse vero pacificus noster esse dicitur, quia per ipsum Deo omne genus humanum reconciliatum est. Huic pacifico vinea fuit; quia in labore præceptorum carnalium synagogam plantavit, de qua dicitur: *Vinea Domini sabbathus dominus Israel est. Quæ vinea in ea quæ habet populos extitit; quia in lege positæ est, quæ multos populos ad se collegit. De quibus populis dicitur: Populi meditati sunt inania.* Ps. 2. 4. Hanc vineam custodibus tradidit; quia synagogam Moysi & ceteris patribus custodiendam subjecit. De qua bene subditur: [*Vir afferit pro fructu eius mille argenteos.*] Hec vinea fructum protulit, quia ex synagoga botrus ille magnus qui de terra promissionis allatus est, Christus videlicet Jesus, per humanitatem processit. De quo fructu Pater ad David ait: *De Ps. 131. 6 fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Unde & Rom. 9. 4. Apostolus scribit: *Quoniam patres sunt, & ex quibus Christus. Per argenteos vero in hoc loco omnem terram substantiam intelligimus, de qua Petrus eleemosynam petenti claudio dicebat: Argentum & Ad. 3. 4 aurum non est mihi. Pro fructu ergo vineæ vir mille argenteos afferit; quia quisquis viriliter in fide quam suscepit, se habet, libenti mente & perfectè omnia terrena dimittit, ut Christum veraciter habeat. Millennium enim perfectus est numerus, ideo per eum perfectio rei cuiuslibet demonstratur, Hos argenteos in primitiva Ecclesia illi ferabant, de quibus in Actibus Apostolorum scriptum est: *Quotquot autem possidores agrorum aut domorum erant, vendebant, & afferentes ponebant ad pedes Apostolorum pretia eorum que vendebant.* Iti congregati aliam vineam, videlicet sanctam Ecclesiam, ex scipis construxerunt, & ut boni agricultæ, sanguine suo propagaverunt, & prædictionibus usque ad fines terre dilatauerunt; ut jam mundum penè universum impletat, & fructum gratum locata agricolis, suis temporibus reddat. Unde in Evangelio dicitur: *Malos malè Mat. 23. perdes, & vineam tuam locabis aliis agricultis, qui d**

511 S. Gregorii Expositio in Cant. Cantic. &c. 512

reddant ei fructum temporibus suis. De qua vinea A
jam bonis locata ipse Pacificus dicit :

XVII. Vinea mea coram me est.

Coram ipso vinea sua existit, quia perditis malis
agricolis, sanctam Ecclesiam per bonos doctores
respectu benigno erudit. Cui dicit :

XVIII Mille tui pacifici, & ducenti iis qui custo- diunt fructus ejus.

*Qui sunt isti pacifici qui mille dicuntur esse & du-
centi, nisi illi superiores argentei, quos dum perfec-
tè dimittimus, pacem per eorum distributionem cum
sanctis nobis ipsi acquirimus?* Unde & in Evange-
lio Dominus præcipit : *Facite vobis amicos de man-
mona iniquitatis : ut cum defeceritis, recipiant vos in
eterna tabernacula.* Sed quid per ducentos intelligi-
mus, nisi duplicum retributionem quam acquirimus,
dum in hoc mundo perfectè pro Christo omnia ter-
rena contemnimus? Mille ergo & ducenti Ecclesie
argentei existunt, quia dum fideles quique omnia
quæ possident, ex toto relinquent, & pacem sibi
cum sanctis faciunt, & præsentis vita remuneratio-
nem cum cælesti percipiunt. Et hoc est quod Domi-
nus in Evangelio ait : *Amen amen dico vobis, nemo
est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut
patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter
me & propter Evangelium, qui non accipiat centies
tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, &
sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutio-
nibus : & in sæculo futuro vitam eternam.* Sed qui-
bus ista remuneratio sic duplicatur, nisi his qui cu-
stodiunt fructus ejus? Qui sunt autem qui fructus
vinea custodiunt, nisi illi qui in sancto opere quod
inceperunt, perseverantes existunt? Opus enim
quod sancto desiderio incipitur, si constantia mentis
usque ad finem non tenetur, sine fructu habetur :
quia immaturè ab hoc unde processerat, vacuatur.
Ideoque Dominus in Evangelio ait : *Qui persevera-
verit usque in finem, hic salvus erit.* Sequitur spon-
sus, & dicit :

XIX. Qua habitas in hortis, amici auscultant te : fac me audire vocem tuam.

Sponsa in hortis habitat, quia sancta Ecclesia,
vel quælibet sancta anima in fructificatione virtu-
tum mentem versat. Cujus vocem sponsus audire
desiderat, qui in hoc summopere Christo placet,
ut perfectus quilibet vir infirmos quoque verbo
sanctæ prædicationis admoneat. Amici enim au-
cultant, quia fideles in Ecclesia, ut amicus sponsi
loquatur, pio desiderio expectant. Et notandum
quod amicus est qui auscultat; quia qui Deum men-
te integrâ diligit, prædicantem quem diligit, liben-
ter audit. Unde in Evangelio dicitur : *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Sed quia dum Ecclesia veri-
tatem prædicat, multi non intelligunt, multi quod
percipiunt, pravo intellectu subvertunt : ideo ad-
monentius prædicet, respondet sponsa, & dicit :

*Fuge dilecte mi, & assimilare caprea hin-
nuloque cervorum super montes aroma-
tum.*

Dilectus fugit, quia à reprobis cordibus se, ne
intelligatur, abscondit. Dum enim reprobare mentes
ad audienda vel legenda verba Dei, perversa intentione
accidunt, digno iudicio veritatem non inveniunt, quam indigno appetitu requirunt. Unde &
ipsa Dei sapientia dicit : *Quarent me mali, & non invenient.* Sed fugiens reprobos dilectus, montes
aromatam petit : quia perversos dimittens, sanctas
animas visitare non definit, quæ & per contemplationem excelsæ hunc, & per confectiones virtutum
odorifera unguenta secum ferunt. Super hos mon-
tes dilectus caprea & hinnulo cervorum assimilatur;
quia in cordibus sanctorum virorum manifestatur,
quam pia charitate humanitatem pro nobis assump-
xit. Qui dum ex patribus antiquis natus fuit, quasi
ex cervis hinnulus, sicut dictum est superius, venit.
Qui dum esset dives, pauperem se, ut nos ditare-
mur, fecit; & dum esset super omnia excelsus, hu-
militatem nostram ineffabili dignatione suscepit. *circa
Cui immensas gratias quoadusque vivimus redda-
mus : cui pro nobis in mortem tradito, & resurgen-
ti in immortalitatem, nosipso, & spiritum, & cor-
pus debemus : Qui vivit & regnat cum Deo Patre in
unitate Spiritus sancti Deus, per infinita sæcula sæ-
culorum. Amen.*

Expositionis S. Gregorij Pape super Cantica Canticorum finis.



SANCTI